





DE ASSE
E T
PARTIE














DE ASSE ET PARTIBVS EIVS:

Autore
GEORGIO HENISCHIO B.
Medico & Mathematico AVG.



AVGVSTAE VINDELICORVM,
typis Davidis Franci.

M. D C V I.



NOBILI VIRO,

CAROLO RECHLINGERO, Dn. in Burckvvalden, judicij Augustani aſſeſſori, & Scholarchæ, Domino ſuo obſeruando S. P. D.

Georgius Heniſchius D.



TRia ſunt, vir nobiliſs. quibus, ut teſtatur Salomon, Deus Opt. Max. hoc mundi opificium, quo nihil pulchrius, conſtruxit, & potenti ſua manu ſuſtentat: menſura, numerus & pondus. Numerus ordinem continet: pondus grauitatis, menſura molis proportionem componit. Cum autem idem architectus hominem ad ſui imaginem & exemplum creare voluerit: eidem radios etiam magni ſui conſilij & ſapientiæ inſeuit: & intellectum menſuræ, numeri & ponderis, ut mundum rectè contemplari poſſet, liberaliter communicauit. Hic intellectus cum poſt lapſum primorum parentum omnem lucem & flo-

rem amiſerit : nunc illum tanquam ſpeculum obſcuratum rurſus expoliri, & igniculos illius ἀναζωπυρεῖν neceſſe eſt. Quæ expolitio non alijs modis expediri & confici poteſt, quàm ſtudijs bonarum artium, præſertim Arithmeticæ & doctrinæ de aſſe & partibus eius. Hanc qui contemnit, is ſe & hominem ſocordem, & abjectum & degenerem eſſe oſtendit, quem & rerum creatarum præſtantia & nobilitas nihil afficit : & inſtrumenta illa, per quæ ad notitiam mundi, tam artificioſi, tamq; admirandi operis diuini perueniri poteſt, floccipendit. Etſi verò doctrina de aſſe & partibus eius facilis & puerilis eſſe uideatur, tamen magnis & claris viris magno labore hactenus conſtitit : & multi quo magis illam inveſtigarunt, tantò minus ex difficultatibus, & labyrinthis, quos habet, ſe extricare potuerunt. Cum autem ſine hac cognitione non tantum diuina opera rectè æſtimare nemo poſſit: ſed nec in calculo uulgaris Arithmeticæ feliciter verſari : nec utilem legendis Græcorum & latinorum hiſtorijs operam tribuere:

buere: eam ob causam tam liberalem do-
ctrinam non tantum propagare: sed & faciliorem & planiorem reddere magno studio conatus sum. Hoc igitur opusculum conscripsi, idemq́; in publicum euulgare uolui, officij mei causa, ut nimirum tyrones, qui me artes Mathematicas docentem in schola audiunt, hoc subsidio iuuentur: & quæ sine iactura temporis viva voce doceri non possunt, in promtu scripta excusaq́; habeant. Tuo vero nomini, vir nobiliss. inscripsi, quòd te & hisce studijs ualde delectari sciam: & constantem erga literatos beneuolentiam conferre cognouerim. Qua in re tum talentum tibi à Deo commissum Deo fœneraris, tum maiorum tuorum, VVolfgangi Rechlingeri, consulis Avg. & à consilijs Carolo V. aui tui paterni: & Caroli VVolfgangi parentis tui: nec non Melchioris Soiteri I. C. & equitis aurati, aui tui materni, virtutes persequeris: ex quibus illi apud memores beneficiorum multa pondo elogiorum adepti sunt: hic multa talenta Attica amicitiarum ob sum-

mum virtutis & eruditionis decus, quo floruit, apud magnos principes ſibi conciliauit, quibus uſus eſt cum magno patriæ ſuæ & eruditorum omnium commodo & ſolatio. Hoc igitur munuſculum, ut fronte hilari, qua ſoles, ſuſcipias: idq́; non ex eius mole & magnitudine: ſed ex dignitate & animo meo ſpectes, etiam atque etiam vehementer oro. Bene vale.
AVG. VIND. Dominica Iubilate, 1606.

DE

DE ASSE ET PARTIBVS EIVS.

Aſsis nomen ex Hebræo אֶשִׁישׁ, *Aſchiſch, fluxit, quod latinis aſſamentum, id eſt, quodcunq; ex aſſeribus concinnatum ſignificat, ut arcam, capſulam, cophinum, dolium, urceum, cantharum, lagenam, & hinc deducta ſunt Germanica,* kaſt/faß/flaſche. *Eſt autem aſsis in latina lingua triplex ſignificatio. Primo enim ſignificat unitatem in numero, ut apud Columellam lib. 5. c. 3. & hinc ortũ eſt Germanicum* ein eß, *id eſt, unitas. Secundo monetam minimam apud Romanos, ſic dictam quaſi æs, eò quod ex ære rudi & informi primum facta eſſet. Tertio quemcunq; numerũ, ſeu quamcunq; rem integram, quæ per numeros diuidi & menſurari ſolet. Hinc ex aſſe hæres dicitur, qui ſolus eſt hæres omnium. Appellatur & libella: unde hæredem ex aſſe Cicero lib. 7. ad Atticum, hæredem ex libella dixit. Græcis eſt* μοῖρα *&* ὅλον, *latinè totum, unde hæres* ἐξ ὅλου κλήρου, *id eſt, uniuerſæ facultatis. Dicitur & aſsis in nominatiuo caſu.*

Aßis pro integro seu toto sumti varia est divisio. Communiter solet dividi in partes duodecim, quæ & unciæ dicũtur: & hinc Germanis **ein dutzet & zwelffer** *dicitur. Interdũ in portiones minutiores, ut apud Romanos, propter usurã centesimã, apud quos, ut Horatius indicat:*

Romani pueri longis rationibus aſſem
Diſcunt in partes centum deducere.

Columella iugerum, ut assem, diuidit in scrupula 288. & in semiscrupula 576, quæ unam libram constituunt. Tam minutas vero partes accepit, quod etiam minora terræ spacia in æstimationem veniant.

Partes duodecim, quas Græci μόϱια vocant, suas peculiares habent appellationes, hoc modo. Vncia, sextans, quadrans, triens, quincunx, semis, septunx, bes, dodrans, dextans, deunx, as. Hoc vero potius quàm alio divisionis numero antiqui usi sunt, non temere. Duodecim enim intra numeros se inferiores in partes sibi mutuo æquales, quas aliquotas vocant, quàm plurimas distribui potest: nempe in duos senarios: in tres quaternarios: quatuor ternarios: sex binarios, duo & decim unitates. Et una quæq; ex

his

his partibus denominatur, aut à divisore : aut ab ea parte, qua deficit à toto : aut à numero unciarum.

A divisore: ut à duobus dimidium & semis: à tribus triens, seu trias : à quatuor quadrans seu quadras : à sexta sextans, qui & sextas apud Bedam dicitur. A duodecim vero jam non à divisore duodecima, sed ab unitate quoto dicta est uncia, unde Græcum οὐγγία. Est enim una pars assis in 12. diuisi. Ex his partibus major est, cuius divisor minor est: ut Senarius, qui semissem constituit, est pars maxima, eò quod à binario, minimo divisore duodenarij oritur: contra unitas minima, eò quod à duodenario, maximo divisore duodenarij procedit.

Ab ea parte, qua deficiunt à toto, ut bes, dodrans, dextans, & deunx.

Bes & bessis vel des (sic enim Varro & alij tripliciter appellant) sic dictus, vel quod bis sit triens, ut habet Sexti Pomp. dura compositio: vel, ut tradit Varro, quod demtus sit ab eo triens, id est, asse minor sit triente: quod etymon mollius est.

Dodrans siue dodras, sic dictus, quasi cui qua-

drans desit, id est, asse minor sit quadrante.

Dextans sic dictus, quasi cui sextans demtus sit, id est, asse minor sit sextante. Appellatur & decunx à decem uncijs, ex quibus constat.

Deunx sic dictus, quasi cui uncia sit demta, ne faciat assem. Beda iabum vocat.

A numero unciarum, ut quincunx & septunx. Quincunx enim, alijs cingus, sunt quinq; : septunx septem unciæ. Sic semis Prisciano sexcunx dicitur.

GRAECAE aßis appellationes sunt hæ.

δωδεκατημόριον & δωδέκατον, duodecima pars, uncia.

ἑκτημόριον, & simpliciter ἑκτὸν sextans, quasi sexta pars. Athenis olim ἑκτημόριοι appellati ante Solonis constitutionem, qui opera ruri faciebant, & frugum sextam partem dominis agrorum afferebant. Scribitur & ἑκτήμοροι.

τεταρτημόριον, & simpliciter τέταρτον, quadrans, quasi quarta pars.

τριτημόριον, & simpliciter τρίτον, triens, quod sit tertia pars.

πεντάμοιρον, quincunx. Nam quincunx sunt $\frac{5}{12}$. πεντημόριον $\frac{1}{5}$, quod facit duas uncias cum duabus quintis.

διυοςὸν, latinis dimidium & semis, vel semissis, quod sit ἥμισυ, id est, dimidia pars aßis. Hinc prouerb. Semißis homo, semideus, serui dimidio mentis carent. Appellatur & ἡμιμόριον.

ἑπτάμοιρον, septunx. ἐπτημόριον est $\frac{1}{7}$ non $\frac{7}{12}$.

δίμοιρον, bes dictus, quod duæ sunt partes de tribus, seu duæ tertiæ aßis. ὀγδοημόριον Græcis non $\frac{2}{3}$ sed $\frac{1}{8}$ facit. Interdum vero δίμοιρον, dimidium significat, & peculiariter de moneta dicebatur pro triobolo, quod hoc esset δίμοιρον, id est, dimidium drachmæ.

τρίμοιρον, dodrans dictus, quod tres sint partes de quatuor, seu tres quartæ aßis. Nam ἐννατημόριον est $1\frac{1}{9}$. non $\frac{9}{12}$. vel $\frac{3}{4}$.

πεντάμοιρον, dextans dictus, quod quinq; sint partes de sex: seu quinq; sextæ aßis. Potest & δεκάμοιρον dici: non vero δεκατημόριον: cum hoc sit $1\frac{1}{5}$, non $\frac{5}{6}$.

ἐνδεκάμοιρον, deunx. Nam ἐνδεκατημόριον est $1\frac{1}{11}$, non $\frac{11}{12}$.

Rursus unciæ partes minores sunt semuncia, duella, sicilicus, sextula, drachma, scrupulus, semiscrupulus.

Semuncia, sic dicta quod sit semißis unciæ,

Græcis

Græcis ἡμιουγγία, & ἡμιούγγιον.

Duella, dicta quod ſint binæ ſextulæ.

Sicilicus, quod ſemunciã bifariã, nempe in ſenos ſcrupulos ſecet: alijs quod ſit dimidius ſiclus.

Sextula, Græcè ἑξάγιον, vel ϛ'άγιον, quod ſit ſexta pars unciæ.

Drachma, quod ſit manipulus plurium ſcrupulorum.

Scrupulum, alij ſcriptulum: nonnulli etiam ſcribulum à ſcribendo vocant: Græci γράμμα, à numero totidem literarum, quot grana attribuũt ſcrupulo. Sunt enim 24. grana partes ſcrupuli unius. Scrupulus (utroq; enim genere dicitur) tandem dividitur in duos ſemiſcrupulos vel obolos, ſemiobolos quatuor: ſiliquas ſex: lupinos octo, grana hordei 24.

Hæ partes ſi auferantur ex aſſe, reliquũ nulla certa voce nominari poteſt. Nam, verbi gratia, ſemuncia ſi auferatur ab aſſe reliquũ, nempe, undecim ac ſemis certo nomine caret. Vox autem ſeſcunx, vel ſeſcuncia unam unciam ac ſemis denotat, hoc eſt, ſemunciæ triplicem, ut vocat Fannius. Eadem ratione dicitur & ſeſcuplum, aut ſeſquiplum pro ratione hemiolia, quæ latine

ſeſqui-

ſeſquialtera, ut 3 ad 2, vel 6 ad 4. Seſqui eſt tantum & ſemis, Græcis ἡμιόλιον : ut ſeſquipes, id eſt, pes & dimidium pedis. Seſqui Vlyſſes, id eſt, Vlyſſes & dimidium Vlyſſis, pro homine ſummè aſtuto, & plane expolito. Seſquipedalia verba pro magnificis, quæ & ampullas vocat Horatius. Græci, qui voce, qua ſemunciam exprimant, carent, eleganti periphraſi utuntur, pro ſeſquimina tres ſemiminas ſcribentes.

Methodus inveniendi partes aſsis in quacunq; re diviſibili per regulam proportionum eſt hæc. Primo loco ponatur integrum, nempe 12. ſecundo partes rei denominatæ: tertio data pars aſsis: ut cupiens ſcire bes unius floreni, quot cruciferos faciat, numeros ſic diſpono. 12 d. 60. q. 8. Facta operatione provenit 40. Dodrans floreni ſunt cruciferi 45. ſimili operatione facta. Et ſic de alijs.

Eſt verò & brevior quarundam aſsis partium, ut ſextantis, trientis, quadrantis, ſemiſsis, beſsis, dodrantis, dextantis in quocunq; numero inventio per numeros proportionales, quorum eadem eſt, ut ratio, ita & valor. Sextans igitur invenitur tantum dividendo partes rei denomi-

natæ per sex: ut sextans floreni sunt 10. cruciferi. Triens, quadrans, semißis invenitur tantum dividendo per tria, quatuor, duo: ut triens floreni sunt 20: quadrans 15, semißis 30. cruciferi. Totidem enim sunt quoti diviso sexagenario per 3. 4. 2.

Bes invenitur duplicando partes rei denominatæ: & productum per tria dividendo: verbi gratia, sexaginta duplicata faciunt 120, quæ divisa per 3, quotum constituunt 40, δίμοιρον seu bessem sexagenarij.

Dodrans invenitur triplicando partes rei denominatæ, & productum per quatuor dividendo: verbi gratia, sexaginta triplicata faciunt 180, quæ divisa per quatuor, quotum constituunt 45, τετάμοιρον seu dodrantem sexagenarij.

Dextans invenitur multiplicando per quinque partes rei denominatæ: & productum per sex dividendo: verbi gratia 60. quintuplicata faciunt 300, quæ divisa per sex, quotum faciunt 50, decuncem sexagenarij.

Contraria est methodus inveniendi partem aßis in dato quocunque numero. Primo enim loco ponuntur partes rei denominatæ: secundo integrum

grum, nempe 12: tertio datus quicunque numerus: ut cupiens scire 45 cruciferi, quæ sit pars aſsis in floreno, numeros sic diſpono, 60 d, 12. q. 45. Facta operatione præcisè provenit novem, qui numerus dodrantis eſt. Plurimi autem ſunt numeri, quibus nulla ex uſitatis aſsis partibus congruit: ut cruciferi 52 nulla aſsis parte denominari poſſunt. Sic verſui quadrato nullum nomen partium aſsis convenit.

Similis huic eſt commonefactio de ratione res, quibus as attribuitur, in minutias reſolvendi. Eſt autem hæc. Datus numerus ſit numerator: partes integri denominator: quo poſito, ſi opus ſit, minutias maiores ad minimos terminos reducito: ut 28 ſemunciæ faciunt $\frac{28}{32}$ libræ. Libra enim in 32 ſemuncias reſolvitur. Facit ergo $\frac{7}{8}$. Sic duo bacij, 2 numuli faciunt $\frac{30}{210}$, id eſt, $\frac{1}{7}$ floreni 210 num. continentis. Duo autem bacij cum 2. num. 30. numulos faciunt.

SCHEMA PARTIVM ASSIS continetur ſub ſigno II.

EXPLICATIO TABVLÆ.

As continet uncias 12, ſemuncias 24, ſcrupula 288, obolos 576, ſemiobolos 1152,. Siliquas 1728, lupinos 2304, grana hordei 6912. Drachma eſt $\frac{1}{8}$ unciæ, $\frac{1}{4}$ ſemunciæ, una drachma, 3 ſcrupuli, ſex oboli, 12 ſemioboli, 18 ſiliquæ, 24 lupini, 72 grana hordei. Et ſic de aliјs. Fundamentum operationis eſt hoc. Cupio ſcire lupinus, quota ſit pars unciæ, ſemunciæ, drachmæ, ſcrupuli &c. Pono igitur primo loco grana unciæ, ſemunciæ, drachmæ etc, ſecundo unum : tertio 8. Iam ſic dico. 576 grana hordei, dant unam unciam. Ergo 8 dant $\frac{1}{72}$. Sic 288 grana dant unam ſemunciam. Ergo 8 dant $\frac{1}{36}$ ſemunciæ. Et ſic de aliјs.

Sunt igitur partes aſſis menſura quædam rerum omnium, præcipuè harum novem, nempe redituum, bonorum à defunctis relictorum, circulorum cæli, motus eiusdem, interuallorum, ſuperficiei, gravitatis, capacitatis, divitiarum: quorum hæc ſunt nomina, uſura, hæreditas, cælum, tempus, pes, iugerum, pondus, amphora, pecunia; de quibus ſingulis ſeorſim agemus.

VS.

i ali-
estis,
d est,
resso-
hac
iam
iens
ura:
omo
ntu-
ebis.
usu-
tem
rtus
hath
usu-
um,
s est
æcis
uasi
ca-
ura
Ro-

 mani

A

pula

1728.

ma e

puli,

72 gr

opera

sit pa

Pono

drach

dico:

go 8 a

am. I

Su

rum o

reditu

culoru

super

quoru

lum, i

pecun

SCHEMA PARTIVM ASSIS.

	Vnciæ.	Semũ.	Drach.	Scr.	Oboli.	Lupini.	Semiob.	Siliq.	Gr. pip.	Gran. hordei.
As	12	24	96	288	576.	864.	1152.	1728	5760.	6912
Decunx.	11	22	88	264	528.	792.	1056.	1584	5280.	6336
Dextans.	10	20	80	240.	480.	720.	960.	1440	4800.	5760
Dodrans.	9	18	72	216	432.	648.	864.	1296	4320.	5184.
Bes.	8	16	64	192.	384.	576.	768.	1152	3840.	4608.
Septunx.	7	14	56	168.	336.	494.	672.	1008	3360.	4032.
Semis.	6	12	48	144.	288.	432.	576.	864	2880	3456.
Quincunx.	5	10	40	120.	240.	360.	480.	720	2400.	2880.
Triens.	4	8	32	96.	192.	288.	384.	576	1920.	2302.
Quadrans.	3	6	24	72.	144.	216.	288.	432	1440.	1728.
Sextans.	2	4	16	48.	96.	144.	192.	288	960	1152.
Sescuncia.	1 1/2	3	12	36.	72.	108.	144.	216	720.	864.
Vncia.	1	2	8	24.	48.	72.	96.	144	480.	576.
Semuncia.	1/2	1	4	12.	24.	36.	48.	72	240.	288.
Duella.	1/3	2/3	2 2/3	8.	16.	24.	32.	48	160.	192.
Sicilicus.	1/4	1/2	2	6.	12.	18	24.	36	120.	144
Sextula.	1/6	1/3	1 1/3	4.	8.	12	16.	24	80.	96.
Drachma.	1/8	1/4	1	3.	6.	9.	12.	18	60.	72.
Semisextula.	1/12	1/6	2/3	2.	4.	6.	8.	12	40.	48.
Scrupulus.	1/24	1/12	1/3	1.	2.	3.	4.	6	20.	24.
Obolus.	1/48	1/24	1/6	1/2	1	1 1/2	2.	3	10.	12.
Lupinus.	1/72	1/36	1/9	1/3	2/3	1	1 1/3	2	6 2/3	8
Semiobol.	1/96	1/48	1/12	1/4	1/2	3/4	1	1 1/2	5	6
Siliqua.	1/144	1/72	1/18	1/6	1/3	1/2	2/3	1	3 1/3	4
G. pip.	1/480	1/240	1/60	1/20	1/10	3/20	3/4	3/10	1	1 1/5
G. hordei.	1/576	1/280	1/72	1/24	1/12	1/8	1/6	1/4	5/6	1

Pertinet ad folium 10.

PAR

Vsura est redi
eius rei percipi
la terrestris. C
norum à D
m, qui est glo
citur Matth
ecam commit
o, recepissem
uod explicans
ur fæneraris
iam accipies
terrestru ite
e. Vsura fo
mutuo datam
utui sumti:
n Ribbis, oli
am pendere
ommodum
ecunia, qu
δάνειον, &
summa pri
ui sit fæn
sura est lu

VSVRA.

Vsura est reditus seu fructus, qui ex usu alicuius rei percipitur: estq́; duplex, alia cælestis, alia terrestris. Cælestis est, fructus sortis, id est, donorum à Deo singulis hominibus concessorum, qui est gloria Dei & salus proximi. De hac dicitur Matth. 25. Oportuit ergo te pecuniam meam committere nummularijs, & veniens ego, recepissem utiq;, quod meum est cum usura: quod explicans D. Augustinus, ait: miser homo cur fæneraris homini, fænerare Deo, et centuplum accipies, & vitam æternam possidebis. Terrestris iterum duplex est: alia sortis, alia usuræ. Vsura sortis est lucrum, quod præter sortem mutuo datam accedit, Græcis τόκος: quasi partus mutui sumti: Iudæis nostro tempore Rabbath seu Ribbis, olim Nescheph. Hinc phrasis, usuram pendere. Et compositum interusurium, commodum vel usura dimidij temporis. Sors est pecunia, quam creditores fænerantur, Græcis δάνειον, & δάνεισμα: Isocrati ἀρχαῖον, quasi summa principalis. Platoni κεφάλαιον, quod caput sit fœnoris: Germanis das Capital. Vsura usuræ est lucrum ex usura non soluta, quam Ro-

mani olim vetuerunt: Græcis ἀνατοκισμός. Cicero lib. 6. ad Atticum vocat renouationem fœnoris. Differt autem usura strictè sumta à fœnore. Usura est pecuniæ, vel frumenti vel alterius mutuo dati fructus. Fœnus naturalis terræ fructus est, qui ex solo ipso capitur. Rursus usura alia est maritima, alia terrestris. Maritima sive traiectitia est nautica: eaq́ vel ἑτερόπλους, vel ἀμφοτερόπλους.

ἑτερόπλους, Germ. hinüber, quæ in alteram tantum navigationem seu in maris commeatum statuitur: verbi causa, ex Athenis Byzantium.

ἀμφοτερόπλους, Germ. hinüber/und widerumb herüber/quæ non aliter debetur nec ipsa, nec sors ejus, quàm si navis cum mercibus sospes domum redeat: verbi gratia, ab Athenis Byzantium, & rursus à Byzantio Athenas.

Huius nauticæ usuræ quæ penditur navigatione perfecta, & sic tempore indefinito, non una est ratio. Iustinianus concessit unam centesimam. Papinianus binas centesimas. Lampis, ut scribit Demosthenes, Phormioni Athenis nauigaturo in Pontum hac condicione uiginti minas dedit, & usurarum nomine sexcentas drachmas stipulatus

stipulatus fuit, ut cum è Ponto rediret Athenas eam traiectitiam pecuniam redderet, simulq́; usuram penderet, quæ fuit duarum centesimarum & dimidiæ.

Rursus usura est vel hebdomatica, vel menstrua, vel annua. Hebdomaticam usuram nunc soli Iudæi exercent, deposito priùs pignore, quod pluris quàm sors ipsa, æstimatur. Pleriq; autem octavo die tantum exigunt, ut anno absoluto sors unius floreni usuram dimidij floreni faciat. Quod si intra annum usura non solvitur: pignus pro sorte & usura sibi vendicant. Hinc vox Germanica wucher/ à wochen/ id est, hebdomade.

Menstrua usura duplex est: Græca & Romana. Græca est centesima simplex, centesima cum sexta parte: sesquicentesima, tripla centesima.

Centesima simplex est, qua debitor ei, qui minam fœneratus est, singulis mensibus dedit drachmam, quæ erat centesima sortis pars. Centum enim drachmæ faciunt minam Atticam. Græcis est ἑκατοστὴ & drachmalis. Eadem & ex asse & libralis dici potest. Soluit enim de centū florenis annuos duodenos, siue menstruos singulos.

Hanc leges vocant maximã, eãq; Iustinianus taxavit fœnori nautico: ut illustribus personis trientes: negociatoribus besses: reliquis semisses: quotas & illas esse voluit, quæ sine pacto propter moram veniunt. Hanc moderationem usurarum ille pro personarum varietate instituit: ut & pauperes à ditioribus mutuo juuarentur: & debitores cum commodo creditorum locupletarentur: quod utrunq; fieri non potuisset, si usuras in universum abolevisset, vel promiscuè concessisset. Columella lib. 3. de re rustica cap. 3. vinearum fructus & lucra centesimis usuris præferenda esse subducto calculo confirmat.

Centesima cum sexta parte est, qua debitor ei, qui minam fœneratus est, singulis mẽsibus dedit drachmam cum obolo, sexta drachmæ parte, id est, de centum florenis menstruos singulos cum cruciferis decem: sive annuos denos quaternos. Græci ἔφεκτον τόκον vocarunt.

SESQVI centesima est, qua debitor ei, qui minam fœneratus est, singulis mensibus novenos obolos dedit, quæ erat centesima sortis pars & centesimæ dimidia, id est, de centum florenis menstruos sesqui florenos: annuos florenos octodecim.

decim. Sesquidrachmalem appellare licet. Græci hemioliam vocarunt, quæ tempore Nicæni concilij in usu fuit, & tunc abrogata.

Tripla centesima est, qua debitor ei, qui minam fœneratus est, singulis mensibus ternas drachmas dedit, id est, ternos menstruos: tricenos senos florenos annuos de centum. Fuit & quadrupla centesima, quam Salaminios Bruto dedisse Cicero scribit, id est, 48 annuos de centum: sive menstruos quaternos. Talis est Iudæorum nostro tempore erga Christianos. Tam graves exactiones & horribiles usuræ fuerunt in Asia tempore Luculli, quibus multi potentes pressi suos liberos vendere coacti sunt. Lucullus vero ad centesimas reduxit. Idem fecit & Iulius Cæsar.

Romana usura fuit centesima, centesimæ bes, semissis, quincunx, triens, quadrans, uncia.

Centesimam dare singulis mensibus quondam legitimum fuit: gravius fœnus accipere fœneratores à debitoribus leges prohibuerunt. Nam ære alieno oppressi interdum iniquissimo fœnore versuram faciebant. Hæc centesimo mense exæquat sortem: ut unciaria centesimo anno.

Vsuram centesimam hodie exercent mercatores in regionibus exteris.

Centesima bes tertia parte quàm centesima levior fuit, qui solvit menstruum bessem: annuos octonos. Hunc Iustinianus IMP. concedit his, qui ergasterijs præsunt, vel aliquam licitam negotiationem gerunt.

Semißis centesima est, quo centenarius quolibet mense dimidium parit: seu quolibet anno sex. Appellatur & dimidia centesima: Plinio civilis & modica, lib. 24. c. 4. Talem usuram pendunt hodie Bohemi.

Quincunx centesima est, quo centenarius quolibet mense quincuncem, id est, cruciferos viginti quinq; parit: quolibet anno quinq; florenos. Et hæc usura Germanis usitata est, & pro Christiana habetur.

Triens centesima est, quo centenarius quolibet mense trientem, id est, viginti cruciferos parit: quolibet anno quatuor florenos.

Hæc & trientaria, & usura ex triente & tertia centesima dicitur: quam Antoninus PIVS IMP. tanquam minimam exercuisse dicitur, ut patrimonio suo plurimos adjuvaret.

Quadrans

Quadrans seu quarta centesimæ est, quo centenarius quolibet mense quadrantem, id est, quindecim cruciferos parit: quolibet anno tres florenos.

Vncia centesimæ est, duodecima pars centesimæ, quæ cruciferos quinos menstruos: annuos singulos florenos pendit: uocatur & unciaria: Livio & Tacito unciarium fœnus. Semunciaria est semissis unciariæ, quæ dimidium unciæ soluit: & ducentesimo demum anno sortem æquat. Duo posteriora genera usurarum maxime licitarum, ut Romanis quondam fuerunt usitata, ita nullos hodie istis modis pecuniam fœnerari novimus.

Eodem modo usuræ ex sextante, septunce, dodrante, decunce & deunce sunt, cum centenarius sextantem, septuncem, dodrantem, decuncem & deuncem parit.

Annua usura est, quæ non singulis mensibus, sed singulis annis penditur: estq́; tot generũ, quot menstrua. Sic centesima est, cum quis alicui fœneratus est centum asses, vel nummos argenteos aut aureos, & is illi spopondit centesimam, solvet quotannis duodenos asses, vel nummos ar-

genteos aut aureos. Si ſpopondit centeſimæ beſſem, ſolvet octonos: ſi ſemiſſem ſenos, & ſic de aliјs.

HAEREDITAS.

Hæreditas proprie eſt ſucceſsio in ius & facultates defuncti: ut cum dicitur; hæreditatem obire. Hîc vero bona, quæ hæreditate obveniunt, intelliguntur: ut cùm dicitur, luculenta atq; magna hæreditas.

Partes illius poſſunt eſſe variæ. Cicero pro Cæcinna hæreditatem ut aſſem, in deuncem, ſemunciam, & tres ſextulas diviſit. Sic enim ille. Teſtamento facto, inquit, mulier moritur: facit hæc hæredem ex deunce & ſemuncia Cæcinnam: ex duabus ſextulis M. Faſcinium libertum ſuperioris viri: Ebutio ſextulam aſpergit.

Iuſtinianus lib. 2. Inſtit. omnem hæreditatem, qualiſcunq; ea fuerit, in duodecim partes, ſicut as, in duodecim uncias dividit: quæ diviſio neceſſaria eſt, quando teſtator vult hæredes inſtituere ex inæqualibus partibus. Ponamus igitur relinqui ab aliquo mille & ducentos ſlorenos. Legatio autem in teſtamento talis ſit, ut frater ſemiſſem: patruelis quadrantem: amita ſextan-

sextantem: & alius quidam unciam sive duodecimam bonorum partem accipiat. Fratri igitur debentur sexcenti: patrueli trecenti: amitæ ducenti: & postremo centum floreni. Quod si tota hæreditas esset sex florenorum, tum ternarius est semis: unitas cum semisse est quadrans: unitas est sextans: dimidius florenus est uncia. Sic binarius triens, quaternarius bes, quinarius dextans, as ipse senarius,

COELVM.

As in cœlo est Zodiacus, quem instar aßis Astronomi in duodecim signa dividunt: & rursus unum signum in 30 gradus: ut totum circulum in 360 gradus: & rursus unum gradum in 60 scrupula prima, scrupulum primum in 60 scrupula secunda: scrupulum secundum in 60 scrupula tertia, & sic deinceps. Eruditi vero quodlibet ex his totis tanquam assem in duodecim partes æquales dividunt, quas nominibus partium aßis exprimunt. In toto igitur Zodiaco duo signa sunt sextans: tria signa quadrans: quatuor triens: quinq; quincunx, & sic deinceps. Hinc aspectus alius est sextilis, alius quadrantalis, alius trientalis, alius semißis.

Sextilis est, qui fit per sextantem Zodiaci, id est, duo signa, sive in tertio signo : siue 60 gradibus : ob id sexagenarius dictus & ἑξάγωνος : ut Sol in 1 gradu ♈ aspicit Lunam in 1 gradu ♊ sextili aspectu.

Quadrantalis est, qui fit per quadrantem Zodiaci, id est, signa tria, aut in quarto signo : siue 90 gradibus, ut Sol in primo gradu ♈ aspicit Lunam in primo gradu cancri aspectu quadrantali, quem Græci τετράγωνον vocant.

Trientalis est, qui trientem Zodiaci capit, & in quinto signo fit, quatuor signorum intervallo, gradibus 120. Plinius triquetrum vocat lib. 2. c. 15 : ut Sol in primo gradu ♈ aspicit Lunam in 1 gradu leonis aspectu trientali, Græcis τρίγωνος.

Semißis est, qui fit diametro, sex signis, seu in septimo signo, per gradus 180, ut Sol in primo gradu Arietis aspicit Lunam in primo gradu libræ aspectu semisse. Primus enim gradus Arietis à primo gradu libræ 180 gradibus, qui semissem Zodiaci faciunt, distat.

Rursus signi unius in 30 gradus divisi $2\frac{1}{2}$ gradus sunt uncia : quinq; sextans : $7\frac{1}{2}$ quadrans :

10 tri-

10 triens : $12\frac{1}{2}$ quincunx. 15 semißis : $17\frac{1}{2}$ septunx : 20 bes : $22\frac{1}{2}$ dodrans : 25 decunx : $27\frac{1}{2}$ deunx: semuncia $1\frac{1}{4}$, & sic deinceps.

Similiter unus gradus in quovis signo per se consideratus est as, complectens 60 scrupula: deunx 55'. dextans 50'. Dodrans 45'. Bes 40'. Septunx 35'. Semißis 30'. Quincunx 25'. Triens 20'. Quadrans 15'. Sextans 10'. Vncia 5'. Semuncia 2'. 30''. Duella 1'. 40''. Sicilicus 1'. 15''. Sextula 50''. Drachma 37''. 30'''.

Eodem modo diameter apparens tū Solis tum Lunæ, ut as, in duodecim uncias, quæ digiti vocantur, dividitur. Hinc intelligi potest illud, quo dicitur: Lunam in denos quinos gradus accrescere unciā : & totam compleri partibus 180 peragratis.

TEMPVS.

Tempus est numerus vel mensura motus secundum prius & posterius, id est, numerus partes motus invicē sibi succedentes, earūmq; durationem numerans, ita ut certum initium & certus finis constituatur. Etsi autem in omni motu discerni possunt partes succeßionis : tamen temporis discrimina potißimum sumuntur à motu lumi-

luminarium, ſolis & lunæ, qui eſt perpetuus & maximè regularis, maximeq́ conſpicuus. Sic Sol motu ſuo proprio per Zodiacum annua definit ſpacia: motu ſecundario ſeu violento ab ortu in occaſum, cuius regula æquator eſt, diſtinguit momenta, ſcrupula, horas, dies. Luna motu proprio ſpacia menſtrua. Atq́ hoc officium luminibus iſtis duobus delegatum eſt à Creatore, Geneſ. 1. dicente, fore ipſa nobis, in ſigna, in tempora, dies & annos.

Partes temporis aliæ ſunt minores: aliæ majores. Minores ſunt atomus, momentum, ſcrupulum, hora, dies, ſeptimana, menſis, annus. Majores ſunt luſtrum, Olympias, annus ſabbaticus, Climactericus, Octaëteris, indictio, annus Metonicus, γενεὰ, Iubilæus, annus Calippicus, ſeculum, annus hierarchicus, Regiomontani, propheticus, magnus: quibus cognata ſunt æuum, & æternitas. Hæc enim duo rem ſua natura immutabilem: ut tempus rem mutabilem, menſurant.

Atomon vocant partem temporis tam minutam, ut ne cogitatione quidem dividi amplius poßit. Attribuunt autē uni horæ atomos 13440, uni

uni ſcrupulo 224: uni ſemiſcrupulo 112: ut ſit atomos $\frac{1}{112}$ ſemiſcrupuli.

Momentum alij rectius minimam partem temporis faciunt: ſic dictum à motu. Eſt enim punctum temporis, quale in breviſsimo oculi ſeſe claudentis vel aperientis motu cernitur: unde Germanis ein augenblick *dicitur. Hujus meminit Plinius, cum inquit. Puncto temporis rerum maximarum momenta vertuntur: Germanis* in einem hui. *Phyſicis eſt* τὸ νῦν, *quod temporis partem eſſe ajunt impropriè & planè generaliter: non autem propriè. Momentum enim ſemper eſt præſens, eſtq́; terminus præteriti, & initium futuri temporis. Sic phyſici dicunt, viſio fit momento, id eſt, illuſtrato medio, objectoq́; rectè diſpoſito ſtatim viſio producitur. Hebræi momentum vocant $\frac{1}{18}$ ſcrupuli: ut contineat atomos 12 ferè cum $\frac{5}{9}$: unde ſequitur, momentum, tempus eſſe, quo de æquatore oriuntur ferè $\frac{5}{6}$ unius ſcrupuli primi, id eſt, circiter punctum unius ſcrupuli.*

Scrupulum eſt tempus, quod abſoluitur, dum de æquatore oriuntur temporum ſcrupula prima 15, ſecunda 2, tertia 30. Nam ſpacium diei naturalis

turalis complectitur tempora ferè 361, eò quod integro circulo Sol motu proprio quotidie unam ferè partem adjicit. Et hoc est scrupulum primū. Secundum est sexagesima pars unius scrupuli primi: tertium sexagesima pars unius scrupuli secundi, & sic deinceps.

HORA est certa diei pars, sic dicta ab horo, id est, Sole. Duplex est, æqualis & inæqualis. Aequalis, Græcis ἰσημερινὴ, est spacium 60 scrupulorum, id est, vicesima quarta pars diei naturalis, seu integræ revolutionis æquatoris, id est, spacium temporis, quo de æquinoctiali circulo, motu primi mobilis supra horizontem exoriuntur gradus 15, vel præcisè tempora 15, scrupula 2, secunda 30.

Inæqualis, Græcis καιρικὴ, id est, temporalis, est scrupulorum nunc plurium, nunc pauciorum, quàm 60. Est enim uncia vel duodecima pars cujusq; diei vel noctis artificialis. Numeratur ab exortu Solis supra horizontem, usq; ad ejus occasum: & rursus ab occasu in ortum. Hujusmodi horas intelligūt scriptores tum sacri, tum profani ueteres, ut cum dicitur, Christum crucifixum hora tertia, & expirasse nona. Et quod

scriptum

ſcriptum legimus de Hadriano Cæſare, quod vetuerit quenquam, niſi ægrum, lavare in publico ante horam octavam, id eſt, ante alteram pomeridianam.

Rurſus hora æqualis dividitur in quatuor quadrantes, quorum ſinguli 15 ſcrupula continent. Dividitur vero & in partes aſsis, ut dodrantem, beſſem, unciam, ſemunciam, dextantem, & ſic deinceps, ut quodvis aliud integrum. As igitur ſunt 60 ſcrupula: dodrans 45′, bes 40′, ἡμιώβελον 30′, uncia 5′. ſemuncia 2′. 30″. dextans 50′, & ſic de aliјs, eſtq́ eadem horæ, quæ unius gradus diviſio. Hebræi horam in 1080 momenta dividunt, numerum ſcilicet πολυμερέστερον πάντων, quo nullus alius in tot partes dividi poteſt. Et rurſum in atomos 13440, quę jam nullam diviſionem admittunt. Erit igitur uncia horæ, momentorum 90. atomorum 1120. Bes mom. 720: atomorum 8960. Dodrans momentorum 810: atomorum 10080: & ſic de aliјs.

Harum partium meminit Plinius, cum ait lunam à ſecunda, dodrantes & ſemuncias horarum lucere: unde ſequitur decimo quinto ferè die totam noctem, hoc eſt, duodecim horis ſupra

horizon-

horizontem noctu ferri, ponendo ad regulam proportionum numeros hoc modo. 4′7.30″. horæ D.1 diem. q.12 horæ. F.15 horas, & 9 minuta.

DIES est vel reditus Solis ad meridianum: vel motus Solis supra horizontem: ut nox motus Solis infra horizontem. Est igitur duplex, naturalis & artificialis. Naturalis rursus vel politicus, vel Astronomicus. Politicus est νυχθήμερον, *id est, spacium temporis ex die & nocte compositum, quo integra revolutio Solis ab ortu per occasum rursus ad ortum perficitur: constans 24 horis. As igitur diei politici sunt 24 horæ: deunx 22: dextans 20: dodrans 18, & sic deinceps, ut habetur in schemate partium assis sub titulo semunciæ.*

Astronomicus rursus duplex, medius & verus.

Medius est spacium temporis, quo totus æquator semel circumagitur, cum tanta portione ipsius, quanta æquali seu medio Solis motui diurno, qui est 5′9. 8″. 20‴. congruit. Constans horis 24, 3′, 56″, 32‴. Hic & æqualis & mediocris dicitur.

VERVS est tempus, quo totius æquatoris una conver-

conversio absoluitur, cum portione tanta, quanta arcui Zodiaci congruit, quem interea Sol motu proprio in quolibet signo peragrauit. Hic & inæqualis & apparens dicitur. Sol enim nunc celerius, nunc tardius fertur in Ecliptica: interdum 57′, interdum 58, 59, 60′, 61′, diurno motu vero conficiens.

Artificialis dies est conspectus Solis supra terram: sic dictus ab artificio, quod lucidum diei tempus potißimum sit destinatum negocijs hominum: velut nox quieti. Constat autem horis æqualibus inæqualiter, nunc pluribus, nunc paucioribus: horis autem inæqualibus æqualiter semper duodecim, quæ & planetariæ appellantur. Sic horæ æquales dierũ brumalium sunt nobis octo: noctium sedecim: contra dierum solstitialium sunt sedecim: noctium octo: inæquales vero horæ dierum & noctium tum brumalium tum solstitialium & sic omnium per totum annum semper sunt duodecim. Est igitur apud nos hora inæqualis diurna tempore brumæ, scrupul. 41: nocturna scrup. 79. contrà diurna tempore solstitij scrup. 79, nocturna scr. 41. Cæterarum horarum inæqualium reliquis temporibus quan-

titas crescit & decrescit ratione quantitatis dierum & noctium. Cleomedes autor est diem à bruma usq; ad æquinoctium augeri primo quidem mense duodecima parte ejus temporis, quo dies longißimus excedit diem brumalem : secundo autem, parte sexta : & tertio, parte quarta. Tribus autem primis mensibus semper tantundem crescunt dies, quantum ultimis, nempe quarto, parte quarta : quinto parte sexta : sexto parte duodecima. Crescunt igitur primo mense $\frac{2}{3}$. *secundo* $1\frac{1}{3}$: *tertio 2 horis, quibus omnibus in unum collectis, horæ efficiuntur 4 : quæ additæ ad diem brumalem,* τὸν ἰσημερινὸν *diem constituunt : & sic de tribus ultimis. Ex quo colligitur, incrementa intermedia semper maiora esse : minora extrema. Numeri autem secundum regulam proportionum sic disponuntur. 1 hora dat mense primo* $\frac{1}{12}$: *secundo* $\frac{1}{6}$: *tertio* $\frac{1}{4}$: *quantum dant horæ 8. Is enim excessus longißimus supra breviss. est.*

Initium diei politici alij aliud facere consueuerunt. Chaldæi & Persæ & hodie Græci ab ortu Solis. AEgyptij & Astronomi à meridie. Romani veteres, & nos, alijq; complures Europæ populi à

li à media nocte. Iudæi, Athenienses, & antiqui Germani, maiores nostri, ab occasu Solis, unde Tacitus, Germani, inquit, non dierum numerũ, sed noctium computant: & hinc in vulgari sermone sacra nox pro Natali Domini. Tametsi & & alia possit ratio reddi. Nam, ut Seruio placuit, nox pars est diei potior & melior.

SEPTIMANA est spacium temporis septem dies naturales complectens, sic dicta à septenario dierum numero, quasi septem mane, hoc est, dies, κατὰ συνεκδοχήν. Græcis ἑβδομάς. Dicitur & hebdomada, quod tamen potest dici de quolibet mensurato per septenarium, siue sint dies, sive menses, siue anni: unde hebdomadæ Danielis, pro septem annis: & septem hebdomadæ annorum Levitici 25. pro 49 annis. Sic Gellius se jam duodecimam annorum hebdomadam ingressum esse, & ad eum diem septuaginta quinq; librorũ hebdomadas scripsisse refert. Hebræi vocant Sabbathum, quod & unum tantum hebdomadis diem sacrum: & septimanam integram denotat: ut cum dicit Pharisæus in Euangelio. Ieiuno bis in Sabbatho. Et sic septem sunt dies illius his nominibus appellati: prima Sabbathi, secunda,

tertia, quarta, quinta, ſexta, quæ & paraſceue dicitur, quaſi præſtructio & præparatio, quia tunc Iudæi præparant cibaria ad ſequens Sabbathum. Septimo autem loco ſuccedentem diem vocant Sabbathum ſimpliciter, à quiete, quod & Deus confecto ſex diebus mundo ſeptimo die quieuerit: & ipſi eo die ab omni opere quieſcere ſoleant: & violatores Sabbathi certa morte puniant. Nunc in Eccleſia feſtivitas Sabbathi à ſeptimo die in primum ſeptimanæ tranſlata, dies dominica, vel domino ſacra eſt appellata: eò quod hoc die & mundi creationem primum inchoare: & Chriſtus deleto peccato, morteq; devicta glorioſè reſurrexit. Appellatur & σάββατον δευτερόπρωτον, & μία τῶν σαββάθων, & feria prima. Reliqui dies ab hoc ſupputati ac nominati ſunt ordine atq; ſerie numerorum naturali, ut ſecunda, tertia, quarta, & ſic deinceps feria. Sunt vero nomina dierum à ſeptẽ Planetis deſumta hodie uſitatiora, de quibus alibi. A partibus autem aßis dies ſeptimanæ denominari non ſolent: quod ſeptenarius ad dividendum ineptus eſt: unus vero dies una ſeptima: duo dies duæ ſeptimæ: tres dies, tres ſeptimæ ſeptimanæ,

manæ, & sic deinceps dici possunt,

MENSIS est Lunæ vel Solis circuitus per Zodiacum. Sic dictus, vel quasi mensum Lunæ motu tempus: vel à Græco μὴν idem significante: vel μήνη, quod lunam significat. Luna enim regit menses: qui hinc & lunigenæ à Mantuano vocantur. Physici menses dictos putant à mensa, quod singulis mensibus cibi mensis apponendi, mutandi sint.

Est autem alius naturalis, alius politicus.

Naturalis est, quem luminaria suis periodis distinguunt per Zodiacum decurrentia: estque vel solaris, vel lunaris.

Solaris mensis est spacium temporis, quo Sol unum quodque Zodiaci signum proprio motu peragrat: quod fit duodecima propemodum anni parte: estque iterum duplex, medius & verus.

Medius est totius annui spacij duodecima pars æqualis, qua Sol æquali motu suo dodecatemorion Zodiaci absoluit: estque dierum 30. h. 10. scr. 30. Hic & æqualis dicitur.

Verus est mora Solis in uno signo Zodiaci, eaque inæqualis, nunc maxima, ut Sole commorante in ♋, dierum 31, h. 9. scr. 44. nunc minima, ut

Sole commorante in ♑, dierum 29, h. 11. scr. 44. nunc media, ut Sole in aliis signis versante dierum intra duas metas inæqualiter supputandorum.

Lunaris est spacium temporis, quo ☽ unumquodque Zodiaci signum proprio motu peruagatur, estque triplex: periodicus, synodicus, & illuminationis.

Periodicus, qui & medicinalis & peragrationis dicitur, est spacium temporis, quo luna totum Zodiacum proprio cursu peragrat, & ad idem signiferi punctum redit, unde exierat: estque duplex, medius & verus.

Medius est, qui ad medium lunæ motum refertur, constatque diebus 27. h. 7. scr. 43. Hic & æqualis dicitur.

Verus est tempus, quo ☽ per totum Zodiacum circumacta motu proprio restituitur in idem punctum, in quo mense præcedente Soli conjuncta fuerat. Hic & inæqualis dicitur: medio interdum maior, interdum minor.

Synodicus, qui & conjunctionalis & consecutionis dicitur, est spacium temporis ab uno nouilunio ad alterum, quod & annus lunaris à quibusdam

busdam dicebatur. Intra hoc interuallum luna non modo ad id punctum, in quo à Sole discesserat, reducitur, sed ipsum quoq; Solem consequitur, qui tempore illo menstruo interim ultra eum locum, in quo antea cum luna coierat, prouectus est: estq; duplex, medius & verus. Medius est semper dierum 29, hor. 12, min. 44: ideoq; & æqualis dicitur. Verus, qui & apparens vocatur, est spacium, quod duobus quibuslibet ☽ & ☉ veris congreßibus intercedit, à medio differens, ut cum maximè horis 14, nunc addendis, nunc demendis mensi synodico medio: ut verus proueniat: unde & inæqualis dicitur.

Mensis illuminationis est spacium temporis à primo die illucescentis, conspectæq; lunæ post coitum usq; ad ultimum evanescentis, quæ tota deficiens rursus ex oculis evanescit. Hoc spacium metiuntur aliqui diebus 28, seu quatuor septimanis: sed reipsa inæquale est.

Mensis politicus est numerus dierum, quem ex instituto hominum observamus: estq; triplex: legitimus, vulgaris & Iulianus. Legitimus est, qui in forensibus negocijs definitur ex legis præscripto diebus 30. Vulgaris est, qui vulgi

sermone quatuor septimanis computatur: & hujus mensis in militia plerunque usus est. Iulianus est, qui in Calendario Iuliano habetur, constans diebus inæqualibus, nunc 28, nunc 30, nunc 31. Sic apud Albanos Martius olim fuit dierum 36: Majus 12, Augustus 28, September 16, ut refert Censorinus.

Rursus mensium alij sunt fixi, alij mobiles. Romani fixos menses habent, quos & nos imitamur. Hebræi mobilibus utuntur, sic ut dies primus novilunij, quod æquinoctio verno proximum est, sit prima dies mensis illorum primi, quem Nisan vocant. Eadem est ratio mensium Græcorum, Persarum, Chaldæorum, & Arabum, qui & ipsi certis diebus definitos menses non habent.

Non igitur omnium mensium, sed politici tantum vulgaris partes à partibus assis denominari possunt. Illius uncia sunt dies $2\frac{1}{3}$. sextans $4\frac{2}{3}$: quadrans 7, qui & septimana dicitur: triens $9\frac{1}{3}$: quincunx $11\frac{2}{3}$: semissis 14: septunx $16\frac{1}{3}$: bes 19: dodrans 21, dextans $23\frac{1}{3}$: deunx $25\frac{2}{3}$: quibus tamen vix aut rarò utimur.

ANNVS est spacium duodecim mensium, sic dictum

dictum à circuitu temporis : quod veteres am præpoſitionem pro circum uſurparint. Varro magnos circulos, annos : & paruos, annulos olim appellatos ait : indeq́ nomen translatum ad ſignificationem temporis, quod in modum circuli in ſe recurrit, & in ſe ſua per veſtigia voluitur. Græcis ἐνιαυτὸς, *quaſi* ἐν ἑαυτῷ, *quod in ſeipſo vertatur. Hinc Aegyptij anni ſymbolum effingebant ſerpentem, qui extrema cauda ſuæ mordicus apprehenſa teneret, principium fini continuans.*

Eſt autem duplex, Aſtronomicus & politicus. Aſtronomicus rurſus alius ſolaris, alius lunaris.

Solaris eſt ſpacium temporis, quo Sol totam Eclipticam motu proprio ſemel peragrat, & ab uno aliquo puncto egreſſus, circuitu integro abſoluto ad idem redit : eſtq́ duplex, ſidereus & vertens.

Sidereus, ἀστεροτηρὶς, *eſt ſpacium, quo Sol ab aliqua ſtella fixa digreſſus peragrato Zodiaco, ad eandem reuertitur, ſiue ea ſit prima ſtella Arietis, ſive alia quæcunq́ in octauo orbe : eſtq́ dierum 365. hor. 6. m. 9. ſcr. ſec. 39 : major anno*

vertente & magna ex parte sui similis, & æqualis semper. Ab autore & Thebitianus appellatur.

Vertens, τροπικὸς, qui & temporalis dicitur, est spacium temporis, quo Sol ab æquinoctio verno vel solstitio digressus, Zodiaco confecto, ad idem reuertitur: sic dictus, quia ad τροπὰς, id est, puncta quatuor cardinalia Zodiaci refertur: estq; & perpetuò minor sidereo, & sui dissimilis: duplex autem, medius & verus.

Medius est, quo Sol ad æquinoctium medium reuertitur, æqualis perpetuò, dierum 365. hor. 5. scr. 49. sec. 16. tert. 27. & propemodum Alphonsino anno æqualis. Aliys dierum 365. hor. 5. sc. 50. sec. 58.

Verus est, quo Sol ad æquinoctium vernum reuertitur, cujus spacia inæqualia, nec eadē omnibus temporibus, sed interdum major est, interdum minor anno medio: uniuersaliter tamen minor anno sidereo, scilicet unius horæ triente, & quincunce, hoc est, 20″. 23‴.

Principium vero hujus anni aliæ gentes aliunde ducunt. Romani à bruma: ut & Christiani à natali Christi, qui brumæ dies esse creditur, & quo tempore Christus natus fuit, in 25, Decem-

Decembris incidit. Iudæi post exitum ex Aegypto, à nouilunio, quod proximè accesßit ad æquinoctium vernum, siue sit ante, siue post æquinoctium, siue in ipso æquinoctio. Athenienses à novilunio, quod sequebatur solstitium æstiuum. Aegyptij, sicut hodie Græci, ab æquinoctio autumnali. Sic & olim Iudæi ante exitum ex Aegypto, & hodie illorum reliquiæ, annum suum à novilunio, æquinoctio hyberno proximo collectis omnibus terræ frugibus, auspicantur. Duo enim anni initia, diverso tamen respectu, popularibus suis in usu fuisse Iosephus annotauit.

LVNARIS est spacium temporis, quo luna duodecies Zodiacum peruagata duodecies Soli conjungitur, & complectitur 12 menses synodicos, id est, dies 354. h. 8. scr. 48. scr. sec. 38. ter. 24. Hoc spacium, solaris annus, quem 365 diebus, & quadrante definimus, superat diebus 10, hor. 21, scr. 11, sec. 22. Dies hos 11 ferè epactas ἀπὸ τοῦ ἐπάγειν vocarunt, quasi dicas insertitios: vel addititios, qui anno lunari inserendi fuerunt, ut periodicus Solis cursus expleretur.

POLITICVS est, in quo neglecta subtilitate scrupulosa, quam motuum cælestium ratio postulat,

lat, ἐν πλάτει numerus integrorum tantum dierum comprehenditur: intra quem luminaria cursum suum absoluere creduntur: estq́ triplex, solaris, lunaris, & mixtus. Solaris est, qui ad Solis motum per Zodiacum respicit, neglecto lunæ menstruo cursu: estq́ vel Aegyptius, vel Iulianus. Aegyptius dies 365 continet sine intercalatione. Iulianus rursus duplex est: alius communis, alius bissextilis. Communis est dierum 365. Bissextilis est quartus quisq́, dierum 366. Aegyptius usq́ ad Diocletiani tempora durauit.

Lunaris est, qui motus lunaris rationem tantum habuit, constans diebus 354, siue 12 mensibus lunaribus Synodicis, quorum initia sumebantur perpetuo à nouiluniis: & alternis 30 & 29 dierum erant.

Mixtus est ad Solis & lunæ periodos pariter accommodatus, constans diebus totidem, quot annus lunaris, nempe 354: diebus vero præterea undecim, quos tamdiu colligit, donec ex iis unus mensis constituatur, quem fini anni adiicit: ut annus ille ἐμβολιμαῖος sit 13 mensium: vel dierum 384: & præterea fini anni quarti

diem

diem unum inserit: ut sic initium primi mensis denuo cum suo termino congruat.

As igitur anni communis sunt menses politici vulgares tredecim: vel septimanæ $52\frac{1}{7}$: deunx sept. $47\frac{2}{3}$: decunx $43\frac{1}{3}$. dodrans 39: bes $34\frac{2}{3}$. septunx $30\frac{1}{3}$. semissis 26. quincunx $21\frac{2}{3}$. triens $17\frac{1}{3}$. quadrans 13: sextans $8\frac{2}{3}$. uncia $4\frac{1}{3}$, id est, septimanæ quatuor, dies duo cum semisse: idque ἄνευ ἀκριβείας.

Sunt igitur quatuor quadrantes anni, quorum peculiaria sunt nomina, ver, æstas, hyems, autumnus. Quilibet habet tres menses: ver Martium, Aprilem, Maium: dies 92. Aestas Iunium, Iulium, Augustum, dies totidem. Autumnus, Septembrem, Octobrem, Nouembrem; dies 91. Hyems, Decembrem, Ianuarium, Februarium: dies totidem. Effectus expressi sunt his versibus.

Vere nouo lætis decorantur floribus arua,
Frugiferas aruis fert æstas horrida messes.
Vite coronatas autumnus degrauat ulmos.
Tristis hyems niueo montes uelamine uestit.

LVSTRVM

LVSTRVM Romanis fuit tempus quatuor annorum, sic dictum à lustrando, quod quarto quoq; anno urbs lustrari, hoc est, certis ritibus expiari per censores (quorum magistratus tot annos durabat) præsentibus omnibus ordinibus consueuit. Varro deducit à luendo, id est, soluendo, quod quinto quoq; anno (id est, finito quarto) uectigalia & tributa per censores præsentibus omnibus ordinibus soluebantur. Fiebat & intercalatio circa principium lustri, caniculæ exortu, ut ait Plinius lib. 2. nat. hist. Poëtæ initia accipiunt pro interuallis: & lustrum plerunq; usurpant pro quinquennio: ut sint in lustro quinq; anni exclusiuè: quatuor vero inclusiuè. Hinc Græcis πεντέτηρις quoq; dicitur: & Ouidius bellum Troianum, quod per decem annos durauerat, bilustre appellat. Et idem de sese exule ait.

Iamque decem lustris omni sine labe peractis
Parte premor uitæ deteriore meæ.

Id est, jam quinquagenarius incipio sentire molestias senectutis. Quod vero dicitur in illo Ecclesiastico: lustra sex qui jam peracta Tempus implens Corporis, id non de passione Domini verum

rum est, sed de officio docendi: eò quod Christus triginta annos natus docere cœpit: anno vero tertio & trigesimo: vel, ut alij confirmant, quarto & trigesimo ætatis passus est: hoc est, lustro septimo.

OLYMPIAS Græcorum par erat lustro Romanorum: etiam spacium quadriennij: quod apparet ex æra Græcorum, ubi dicitur. Olympiadis primæ, secundæ, tertiæ &c. anno primo, vel secundo, vel tertio &c. Pro quinquennio autem etiam usurpatum poëtis: ut Ouidio.

In Scythia nobis quinquennis Olympias acta est:
Iam tempus lustri transit in alterius.

Sic dicta ab Olympia urbe Græciæ, quæ ab Elide uno tantum miliari distat: ubi populus Græcus quarto quoq; anno conuenire solitus est: ibiq; sacrificare, & ludos edere Iovi: consultare de commodis & salute Reip. & intercalationis memoriam ad omnem posteritatem conseruare. Duxerunt autem Olympiades initium ab anno mundi 3188, ante natum Christum 774, in mense, qui Græcis erat anni principium, videlicet in plenilunio illo, quod solstitio æstiuo proximū est.

Anno tertio centeſimæ nonageſimæ quartæ natus eſt Chriſtus: paſſus tertio anno ducenteſimæ ſecundæ Olympiadis: currens vero annus 1606. eſt ultimus Olympiadis 595.

Erit igitur ſiue luſtri ſiue Olympiadis uncia menſes 4: ſextans 8: quadrans 12: triens 16: quincunx 20: ſemiſsis 24: ſeptunx 28: bes 32: dodrans 36: decunx 40: deunx 44.

ANNVS Sabbaticus ſeu ſabbatarius, Græcè hebdomaticus, Hebræis fuit annus ſeptimus quisq; nomen à requie adeptus, quod eo agri ceſſarent ſine aratione: & vineæ ſine putatione. Septimum igitur quenq; non tantum diem, ſed & annum: item & millenarium Hebræi notabilem judicarunt. Hinc ijdem mundum ſex millibus annorum duraturum referunt: & ſeptimũ millenarium futurum Sabbathum Domini.

Climactericus Sabbatico cognatus eſt: ſic dictus quaſi ſcanſilis, latinè gradarius, Græcè κλιμακτὴρ, *quod ex ſeptenarijs & nouenarijs velut per gradus ſcalarum aſcendit atq; colligitur. Vnde Germanicum* klimmen. *Sunt enim Climactericorum duo genera:* ἑβδοματικοὶ, *qui numero ſeptenario conſtant, ut 7, 14, 21, 28, 35, 42, 49.*

Et

Et ἐννεατικοὶ, quos novenarius gignit, ut 9, 18, 27, 36, 45, 54, 63. Hos annos ſapientum plerique jam olim ſine aliquo vitæ & fortunarum diſcrimine pertranſiri non poſſe judicarunt: præſertim 49, 81, & 63, quadratum ſcilicet ſeptenarij & novenarij, & productum ex ſeptenario & novenario, quem periodum uitæ humanæ non temere appellant.

OCTAETERIS eſt ſpacium duas Olympiades, ſeu octo annos lunares continens, ad quam ſiue Eudoxus ſiue Leoſtratus tres menſes adjunxit, præter diem intercalarem: ut hoc pacto expleret, quod deerat anno Solis, & æquinoctia ad easdem propemodum ſedes redirent. Idem & ἐννεατηρὶς abuſiuè dictum eſt, quod principium ejus nono quoque anno redibat.

INDICTIO continet annos civiles 15, ſeu tria luſtra, ſic dicta ab indicando, quod tempus ſoluti vel ſoluendi tributi indicabat. Ajunt inſtitutam eſſe ab Auguſto Cæſare poſt triumphum Alexandrinum. Præcepit autem is ut omnes dominio Romano ſubiecti à ſeptimo anno usque ad ſenium cenſum ſoluerent: cumque provinciæ, quæ longius ab urbe Roma diſsitæ ſingu-

lis annis tributa pendere non possent: in tres partes, quas lustra vocant, indictionem divisit, quæ pendendis tributis limites essent. Migrabant autem Romam circa æquinoctium autumnale, vel, ut alij annotarunt, Calendis Septembris; quod tempus anni peregrinationibus maximè est opportunum: quo collectæ jam fruges ocium agricolis atque opes suppeditant: & primo lustro obtulerunt aurum, quo majestatem populi Romani ostenderent: Secundo argentum, pro militum stipendijs: tertio æs & ferrum, pro armorum & pecuniæ præparatione. Primi census in Iudæa fit mentio in Euangelio, quem mater Domini soluit, eoque Christum ciuem Romanum effecit: cumque indictio tertio anno ante natum Christum inchoasset: hinc fit, ut scire cupiens, quotus indictionis annus agatur, adijciat ad annos Domini tres, & summam partiatur per 15: ut huic anno 1606 additis tribus fiunt 1609, qui diuisi per 15 relinquunt 4, indictionem. Si nihil superfuerit, 15 sunt indictio.

ANNVS magnus Methonis est periodus 19 annorum à Methone autore sic appellatus. Vocatur & ἐννεαδεκατηρὶς & δεκαεννεατηρὶς, & Cyclus

Cyclus decemnouennalis: item aureus numerus, & Cyclus lunaris. Complectitur autem 235 lunationes: intra quas æquinoctia & solstitia prorsus ad eadem principia, & lunam ad eosdem Solis aspectus in ijsdem locis reuerti, hoc est, ijsdem horis fieri creditum fuit, sed falsò. Nam hoc temporis spacio posterior lunatio anticipat, hoc est, præoccupat præcedentem hora 1, 28′, 31″: & singulis annis 262 vel, ut alij volunt, 304, per diem unum: unde à correctione anni per Iulium Cæsarem facta jam per quinque vel sex dies anticipauit.

ΓΕΝΕΑ, latinis ætas, est tempus vitæ hominis, aut animantis: ut periodus regni aut Reip. occasio actionis: æra initij vel calculi temporis. Sumitur autem γενεὰ pro 30 annis, quibus homo perficitur & ♄ cursum suum absoluit: & sic intelligit Homerus, Hesiodus, Diodorus Siculus, Dionysius Halicarnasseus: paulò aliter Herodotus, qui tres γενεὰς centum esse annos affirmat. Errant igitur, qui γενεὰν idem quod seculum valere putant. Poëtæ Nestorem trisecli senem appellant καταχρηστικῶς, cùm Homerus ætatem illius per γενεὰς τρεῖς describat. Est vero ætas,

latinis etiam curriculum naturæ, quod maximè temperiem invertit, calore natiuo abſumente humidum. Hanc aliter Medici, aliter Aſtrologi diuidunt.

Medicis triplex eſt: creſcens, conſtans, & decreſcens. Creſcens alia in longum & latum: alia in profundum. Creſcens in longum & latum eſt infantia, pueritia, pubertas, & adoleſcentia. Infantia ad ſeptimum. Pueritia ad decimum annum. Pubertas ad 18. Meta incrementi corporis muliebris. Adoleſcentia ad viceſimum quintum: ad 21. Hippocrati. Meta incrementi corporis virilis. Creſcens in profundum eſt juventus, quæ ad quadrageſimum evagatur: in maribus ad 45. Conſtans & matura eſt virilis, vix quinquageſimum attingens. Decreſcens eſt ſenectus, eaq́ vel prima, vel ſecunda. Prima eſt ingraueſcens ad annum 65. Secunda eſt decrepita ætas vitam claudens: Galeno via ad interitum.

Aſtrologis ætas infantilis eſt usq; ad quarti anni finem. Puerilis à 4 usq; ad 14 finem. Adoleſcentia à 14, usq; ad 21. finem. Iuuenilis à 21 ad 41 anni finem. Virilis à 41 ad 56 anni finẽ.

Senilis

Senilis à 56, usq; ad 68 finem. Decrepita à 68, usq; ad finem vitæ. Harum singulis suos gubernatores tribuunt: infantili ☽: puerili ☿: adolescentiæ ♀; iuuenili ☉: virili ♂: senili ♃: decrepitæ ♄. Horatius crescentem ætatem annos venientes; decrescentem recedentes vocat, his verbis.

Multa ferunt anni venientes commoda
 secum:
Multa recedentes adimunt.

IVBILAEVS dicebatur quinquagesimus quisq; annus, seu septimus hebdomaticus, cui nomen impositum ferunt à Iobal, clangorem tubæ significante, qua grauius sonante initium & præsentia jubilæi indicari solebat. Vocatur & Sabbathum Sabbathorum, & annus remißionis, quod præter illa, quæ anno Sabbatico fiebant, serui manu mittebantur: & poßeßiones diuenditæ ad pristinos dominos & familias redibant: quod beneficiũ ad conseruationem illius honestæ politiæ directum fuit: quia & prodigis frenos inijciebat: ne temere sua profunderent, cum emtores non inuenirent: & avari minus emebant, quia fundos aliquando reddere prioribus

dominis cogebantur. Hoc modo igitur & mutuationes & venditiones Deus restinxit. A Christo nato usq; ad 1670 annum numerantur jubilæi $33\frac{20}{50}$, qui est numerus annorum, quibus Christus in terris se conspiciendum dedit. Hunc igitur annum nonnulli mundo judicialem & fatalem fore iudicant.

ANNVS Calippicus est periodus conflata ex quatuor annis Metonis, continens annos solares 76, quibus decies novies una dies intercalatur: seu 19 dies pleni inseruntur: sic dictus à Calippo autore, qui temporibus Alexandri M. vixit. Init autem ab eo anno, quo Alexander Macedo post devictum Darium Babylonem cepit, qui sextus fuit ante mortem Alexandri, id est, ab initio Olympiadum annis 446: diebus 96: sive ante natum Christum 328. Est igitur annus Christi 1606 annus 33 periodi Calippicæ vicesimæ sextæ.

SECVLVM tripliciter significat: primum in genere tempus indefinitum, ut cum dicit poëta. Aurea sunt verè nunc secula. Deinde tempus infinitum: ut cum ait Christus Matth. 28. Ecce vobiscum sum omnibus diebus usq; ad con-

summa-

ſummationem ſeculi. Tertiò in ſpecie ſpacium annorum centum, vel, ut aliÿ, ſpacium vitæ humanæ longiſsimum partu & morte definitum: quod quidam annis centum incluſerunt: hodie tamen nonnullos ſuperare centeſimum decimum vitæ annum vidimus. Germ. eines Mannes gedencken. *Hinc ludi ſeculares Romæ, qui centeſimo quoq; anno inſtaurabantur in Natali Romæ, quo præconis voce pronunciatum fuit: populum Romanum eos viſurum eſſe ludos, quos nemo unquam huius ætatis vidiſſet: aut viſurus eſſet poſthac. Fuerunt tamen poſtea principum ambitione minore ſpacio interjecto ſæpius inſtaurati, ut apparet ex Pliniÿ nat. hiſt. lib. 7. c. 48. Horatius ſeculare carmen ſcripſit, quo deſcribuntur ſacrificia, quæ ſingulis centenis annis fiebant. Sic dicimus de hoc anno 1606, anno noui ſeculi ſexto.*

ANNVS Regiomontani eſt ſpacium annorum 135, quibus elapſis Regiomontanus unum diem intercalarem eſſe omittendum cenſuit, ne æquinoctia & ſolſtitia porro etiam regrederentur.

ANNVS Hipparchicus conſtat quatuor perio-

dis Calippi, & 16 Metonis, complexus annos vulgares 304, quibus completis Hipparchus autor hujus anni posteritatem admoneri voluit, unum omnino diem intercalarem omittendum esse, ut initijs mensium rite deinceps respondeant nouilunia.

ANNUS propheticus, seu tempus propheticum 360 annos constituit: ut cum inquit Daniel. Duo tempora cum dimidio. Idem est tempus fatale Regum in una familia, qui ultra annos 360 gubernationem supremam rarò retinuerunt.

ANNUS magnus varius est. Nonnulli planetarum annos magnos vocant, intra quos singuli Zodiacum proprio motu peragrant: velut his versibus expressum est.

Saturnus dena peragit trieteride cursum:
Signiferum absoluit duodenis Iupiter annis:
Mense quater seno trux circuit astra Gradiuus.
Curriculum Titan bissenis mensibus implet.
Omnem mense polum Phœbe nocturna pererrat.

Alijs

Alijs annus magnus tantum solaris est, sic dictus respectu anni lunaris: ut Virgilio cum inquit.

Interea magnum Sol circumuoluitur annum.

Alijs annus magnus est duplex, Aegyptiacus & Platonicus.

Annus magnus Aegyptiacus, qui & Cynicus dicitur, est spacium 1460 annorum solarium, quibus exactis quadrans annuatim redundans neglectus in unum annum conjungebatur: & sic æquinoctia & solstitia pristinas sedes recuperarunt. Horæ enim quinq; & scrupula 50, id est, quadrans, per quem fiebat singulis annis anticipatio, tot annorum curriculo ferè annos 360 constituunt.

Annus magnus Platonicus, qui & perfectus Platoni vocatur in Timæo, est spacium tot annorum: intra quos quidam putant omnia sidera cursum suum absolvere: & ad pristinum statū redire; ita ut eo elapso pristini homines & actiones, cunctæq; aliæ res denuo redeant, eodem plane modo, quo fuere prius. Secundum Ciceronem habet annos vertentes 12554: secundum Alfonsum 49000. Tot enim ferè annis nonus orbis

totum cursum per Zodiacum absoluit: ita ut singulis annis conficiat $26''$, $25'''$, $50''''$: ducentis vero annis 1 gradum, $28'$, $9''$, $47'''$, $45''''$. Ptolemæus autem asseuerat hunc motum perfici in 36000 annorum curriculo: ita ut nonus orbis gradum percurrat in centum annis. Albategnius vero vult istum motum absolvi spacio 23760 annorum: ita ut peragret unum gradum in 66 annis. Magna igitur inter autores de motu noni orbis, & sic de quantitate hujus anni discrepantia est: id vero temere asseritur, omnia sidera eundem situm & ordinem, quem nunc habent, aut olim habuerunt, unquam obtinere posse, cum motus cælorum esse inter se incommensurabiles apud plerosq; in confesso sit. Estq; eadem opinio de redituris pristinis hominibus verbo Dei contraria, quod affirmat nos post resurrectionem semper cum domino futuros esse: ideoq; non eandem, quæ antea fuit, hominum condicionem fore.

AEVVM sic dictum ἀπὸ τοῦ ἀεὶ ὄν, significat durationem eorum, quæ cæperunt, sed non desinunt: estq; tempus, quod principium habet, sed fine caret. Hoc & angelis & Diabolis, & animæ huma-

humanæ conuenit, quæ etsi certo tempore creata sunt, atque esse aliquando cœperunt: deinceps tamen erunt immortalia, nec in nihilum redigentur. Mundus quoque ipse, etsi per incendium renovabitur, fine tamen carebit: Deo, angelis & hominibus domicilium perpetuum futurum. Alij æuum faciunt spacium decem seculorum, id est, mille annorum: & alio nomine seculum seculi: & secula seculorum appellari tradunt. Hac tamen geminatione perpetuum tempus, quod fine careat, denotari, tritum ac pervulgatum est.

AETERNITAS ex æuo factum, quasi æuiternitas, nec principium habet, nec finem: ideoque verè soli Deo conuenit, qui sine principio fuit, est & erit sine fine. Interdum vero & abusivè usurpatur pro ijs, quæ cœperunt, nec desinent, ut cum dicitur. Beati fruentur vita æterna, id est, non desitura: etsi eam in hac vita inchoari necesse sit. Veteres æternitatem lunæ compararunt, quæ etiamsi defecisse videatur, nova tamen fit iterum, & sæpius toto anno iuuenescit.

Maximum igitur tempus est annus magnus Alfonsinorum, qui complectitur 490 secula: seculum viginti quinque lustra: lustrum 4 annos

solares:

solares: annus solaris menses 13 & unum diem: mensis 28 dies, dies 24 horas, hora 60 scrupula: scrupulum 18 momenta: momentũ atomos $12\frac{5}{8}$.

PES SEV MENSVRA GEOMEtrica.

Pes est præcipua mensura longitudinum: sic dicta à longitudine membri corporis humani: ut & pleræq; aliæ mensuræ interuallorum à membris corporis humani ab antiquis appellatæ sunt: quòd & homo rerum omnium sit mensura, existentium quidem ut sunt: non existentium vero ut non sunt: ut dixit Protagoras: & Deus suam pulchritudinem & sapientiam, quæ monstratur in rebus ab eo conditis in numero, mensura & pondere, in humano corpore splendere voluerit. Pes igitur & minores omnes mensuras longitudinum terminat: & ab eo majores omnes incipiunt. Estq; idem origo omnium mensurarum, quibus & superficies, & moles & capacitas supputatur: ut postea dicetur.

Partes mensuræ Geometricæ minores apud latinos sunt: granum hordei, Sicilicus, semuncia, digitus, uncia, palmus, semipes: majores sesqui-

ſeſquipes, cubitum, gradus, paſſus, milliare. Apud Græcos δάκτυλος, λιχὰς, ὀρθόδωρον, σπιθαμὴ, πυγμὴ πυγὼν, πῆχυς, ὀργυία, πλέθρον, στάδιον, δίαυλος, ἱππικὸν, μίλιον, δόλιχος. *Apud alias gentes cubitum regium, paraſanges, ſchœnus, leuca, iter unius diei, raſta, apud Aſtronomos diameter & ſemidiameter terræ.*

GRANVM hordei eſt minimum interuallum: ut & minimum pondus & minima capacitas: eſtq́; quarta pars digiti: Græcis χόνδρος. *In latitudinem autem & non in longitudinem diſponi debet.*

Sicilicus eſt una tertia digiti, continens granum unum cum una tertia. Eſt enim quarta pars unciæ. Plinius eo utitur cum de cedrina Nomij menſa ſcribit. Tribus ſicilicis, inquit, infra quatuor pedes: totidemq́; infra ſemipedem craßitudinis.

Semuncia ſunt duæ tertiæ digiti, quæ grana $2\frac{2}{3}$ *faciunt. Eſt enim dimidia pars unciæ.*

DIGITVS eſt menſura quatuor grana in longitudinem contiguè diſpoſita æquans. Etſi enim granum grano maius eſt: inter multa tamen genera proculdubio inuenientur quatuor, quæ digitum

tum æquare poßint. Intelligendus autem digitus paruus, Græcè κάσκος. Germanis ein zwerchfinger / vel querfinger / id eſt, latus ſiue tranſverſus, item ein kleiner zol. Plinius lib. 8. cap. 21. Cyrenaica baſiliſcum, ait, generat prouincia XII. non amplius digitorum magnitudine. Hinc prouerb. Ne tranſverſum quidem digitum ab aliquo diſcedere.

VNCIA eſt digitus magnus, ſiue pollex æquans digitum, & unam tertiam digiti: Græcis ἀντίχειρ, Germ. eines daumes breit / oder der gröſſer zol. Eſtq; duodecima pars pedis, ut digitus ſextadecima. Plinius coticulos lapides ait eſſe modicos, quaternas uncias longitudine, binasq; latitudine non excedentes. D. Hieronymus unciales literas pro magnis poſuit in prologo in Iobum.

PALMVS, à palma dictus: quod nomen & pro arbore, quæ ut balſamum, Palæſtinæ propria eſt: ut refert Tacitus: & pro tota manu interiore uſurpatur, ut cum Cicero Rhetoricam palmæ: Dialecticam pugno comparat. G. Agricola unum palmum agnoſcit: duos alij faciunt, minorem & maiorem. Major eſt quatuor digitorum; Græcis

παλαιστή.

παλαιστή. *Latina etiã periphrasi quadrans pedis: quia unciæ tres. Meminit huius mensuræ Plinius, ubi inquit. In sulco repastinato palmi altitudine vicenæ ferè (baccæ lauri) aceruatim seruntur mense Maio. Hinc palmares dies Psal. 38. Ecce palmares posuisti dies meos, id est, breues, & cito transeuntes, qui quamvis longissimi sint, pugno tamẽ omnes possunt mensurari. Et palmaria spacia Columellæ lib. 11. & 12. Palmi maioris, quem volunt esse 12 digitorum, seu dodrantem pedis, exempla apud veteres latinos nulla sunt. Quoties enim illi palmum nominant, minorem intelligunt. Eruditi palmum minorem ab Hebræis appellari aiunt laborantem: maiorem ludentem.*

SEMIPES est mensura sex unciarum, seu octo digitorum. Columella semissem vocat, cum inquit lib. 3. In dupondium semissem latum cum feceris, id est, pedes duos & dimidium. Semipes quadratus est pes contractus. Hinc semipedalis. Apud Columel. semipedale spacium.


PES est mensura dimidiæ nostræ ulnæ, seu digitorum sexdecim. Est autem triplex Iulio Frontino, porrectus, contractus, quadratus. Porrectus est mensura longa pedem; contractus, longa &

ga & lata ſemipedem: quadratus longa & lata pedem. Eſt & pes cubicus, qui longus eſt, latus & profundus pede. Porrectum hoc loco intelligimus, ut & Iulius Capitolinus, cum ait de Maximino. Erat pedum octo & prope ſemis. Diuiſio in ſexdecim digitos facta eſt propter numerorũ ſex & decem perfectiones. Diuiditur autem, tanquam as, in duodecim uncias, hoc modo.

AS ſunt pollices ſeu unciæ duodecim, ſiue digiti ſexdecim. Deunx pollices 11, digiti 14. Dextans pollices 10, digiti 13. Dodrans, pollices 9, digiti 12. Bes pollices 8, digiti 10. Septunx pollices 7, digiti 9. Semiſsis eſt ſemipes continens pollices 6, digitos 8. Quincunx poll. 5, digiti 6. Triens pollices 4, digiti 5. Quadrans eſt palmus habens pollices tres, ſiue digitos 4. Sextans ſunt poll. 2, digiti paululum plus quàm duo. Seſcuncia eſt pollex unus cum dimidio, ſiue duo digiti Vncia eſt digitus unus cum unius parte tertia: & quamvis pollex dicatur, latior tamen eſt pollice.

Rurſus pes alius eſt Romanus, alius Græcus. Ille enim breuior: hic longior eſt ſemuncia, quemadmodum apparet ex ſchemate. Pes Auguſtanus eſt æqualis Græco. Alia eſt aliorum locorum

ratio,



Pes Gr

Pes Græcus antiquus in uncias duodecim diuisus.

Pes idem in digitos sedecim diuisus.

Pes Romanus antiquus, Colotianus dictus, in uncias 12. diuisus.

Idem pes in digitos 16. diuisus.


Pes Augustanus ὡς ἔγγιστα par Græco diuisus in uncias 12.

Idem pes diuisus in digitos 16.

Semipes Lutetianus Budæi in uncias 6. diuisus.

Idem semipes in digitos octo diuisus.

Pertinet ad fol. 58.



ratio, in quibus pes maior minorúe est. Sic Lutetianus maior est Romano: Bruxellensis eodē minor.

Est autem pes sexta pars altitudinis cuiusque humani corporis natura bene compositi: cubitus, quarta: palmus quarta & vicesima. Quæ membrorum inter se proportio cum Pythagoræ non esset ignota, de Herculis statura ex illius pedis longitudine, quam in stadio Olympiaco animaduertit, coniecturam fecit.

A pede est pedalis & pedaneus, eiusdem significationis, pro mensura unius pedis. Sic Plinius scribit, intervallo pedali. Et Columella. In maritandis arboribus nemo minorem pedanea scrobem vitibus comparat. Eodem modo dicitur mensura trientalis, quadrantalis, quincuncialis, bessalis. Exempla extant apud Columellam, Vitruuium & Plinium. Herba quincuncialis Plinio est, quæ semipede minor est. Spaciū autē, quod inter hortorum arbores consueuit relinqui, ut & Xenophon in pædia Cyri, & Cicero in senectute testatur, ubi quincuncem arborum ordinē facit, etiam quincunx appellatur, non ratione distantiæ, sed characteris, quo quincunx notatur, qui est hic.



CIPPI HORATIANI pars longa est pedes mille in fronte, id est, in latitudine: lata in agrũ trecentos, cum hac inscriptione, H. M. H. N. S. id est, Hoc monumentum hæredes non sequitur.

Sic enim ille lib. 1. Ser. Sat. VIII.

Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat, hæredes monumentum ne sequeretur.

SESQVIPES, τριημιπόδιον, *pedem cum semisse, siue tres semipedes continet. Hinc sesquipedalis. Sic Cæsar sesquipedalia tigna dicit, id est, crassa pedem & semipedem. Et Columella lib. 9. c. 15. sesquipedali vel paulo amplius mensura.*

CVBITVS, & cubitum, utroq; genere dicitur: ab hippoiatrica voce κύβιτον, *idem significante quod* ἀγκὼν, *id est, curuatura. Est enim extensio seu interuallum à cubito seu flexu brachij usq; ad digiti medij supremam partem. Hinc & brachium vocant: estq; simile bivio. Vt enim in cubito brachium flectitur: ita in biuio via à rectitudine recedit. Fuit autem initio ex virili statura desumtum: non quidem ex quauis, sed ex il-*

ex illa, quam elegit, qui primus ejus longitudinem definiuit. Hinc & cubitus viri, non infantis, vel homunculi dicitur. Est autem duplex: Romanus & Græcus. Romanus Græco brevior, ut & pes. Cubitus Romanus pedem unum cum dimidio, seu digitos 24 continet. Est igitur sesquipes, de quo antea. Græcus totidem digitos cum $\frac{3}{4}$ unciæ unius, id est, digitos 25. Georgius Agricola cubitum Hebraicum duplicem facit, unum æqualem Romano, palmorum sex: alterum palmorum septem, ut sit cubitus & palmus, digitorum 28, unde & palmicubitum dicitur. Alij sacrum à Iosepho explicatum addunt, qui sit duorum pedum Romanorum & semis, ut duo tales cubiti sint æquales passui Geometrico quinq; pedum. Sic cubiti quadringenti unum stadium faciunt, ut scribit Iosephus. Hinc igitur intelligi potest, id quod dicitur cap. 6. Genesis, de arca. Facies eam hac figura. Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ: quinquaginta cubitorum latitudo ejus: & triginta cubitorum altitudo ejus. A cubito est cubitalis, bicubitalis, tricubitalis. Sic Suetonius inquit. Simulacrum æneum deæ cubitali majus.

GRADVS proprie non mensuram, sed progressum significat. Boëtius tamen gradum pro mensura accipit, & efficere pedes duos & dimidium ait. Græcis Βῆμα, ἀπὸ τοῦ Βαίνειν, hoc est, à gradiendo. Germ. ein tritt / oder gemainer schrit.

PASSVS, sic dictus ex passis, hoc est, diductis manibus, duplex est, simplex & Geometricus. Simplex est idem quod gradus Boëtio, mensura duorum pedum cum semisse. Geometricus, quo utitur Cosmometra, quinq; pedes continet. Germ. ein grosser / oder dupleter schrit. *Hunc autores in genere intelligunt, ut cum ait Cic. lib. 1. de legibus. Et qui me ex nostris pene conuellit hortulis, deduxitq; in Academiam perpaulis passibus.*

MILLIARE, siue milliarium, sic dictum à mille passibus, quibus constat. Vtroq; nomine utitur Cicero. In Epistolis ad Atticum. Accepi literas tuas ad quintum milliare. Et in libro de claris oratoribus. Plebes prope ripam Anienis ad III. milliarium consedit. Sic & hodie ut plurimum utroq; utimur: ut cum dicimus. Terreni globi circumferentia est 5400 milliarium, siue millia-

milliariorum. Paßim verò & Cicero & Geographi malunt dicere mille passus: ut Cic. in orat. pro Sèstio. Edixitq; ut ab urbe abesset mille passus. Et Vitellio ait à terra vapores ascendere tantum ad 52 millia passuum. Cardanus ad 288 passuum millia. Et, 1250 passus ratione perpendiculi mons altißimus. Iudæi vocant iter Sabbathi. Plus enim in die Sabbathi, quàm mille passus ambulare illicitum putabant, ut glossa super Actus Apostol. refert. Quia vero olim milliaria, lapidibus signabantur, ijsq; vel Cippis vel Columnis: inde dici solitum, ad secundum, tertium, quartumúe lapidem, vel cippum, id est, duo, tria, quatorúe milliaria. Est autem hoc milliare Italicum & Anglicum, quod differt à Gallico & Germanico. Gallicum enim ut plurimum constat bis mille paßibus. Germanicum rursus varium est, aliud minus, aliud maius, aliud maximum. Minus seu commune constat 4000 pass. maius est Helueticum & Sueuicum, 5000 pass. maximum 6000 pass. Roman. Hispanicum Germanico congruit: ut & Polonicum, Hungaricum, Bohemicum, Dánicum. Est igitur Italicũ quadrans: Gallicum semißis milliaris Germanici

communis. Vltra milliare non est mensura Geometrica, quæ maior sit. Milliarium igitur constat 1000 passibus: 2000 gradibus: 5000 pedibus: palmis 20000: uncijs 60000: digitis 80000: granis hordei 320000.

Græca interuallorum nomina sunt hæc.

δάκτυλος, *lati digiti mensura è Græcis omnium minima, digitum Romanum superat, cum alterius parte* $\frac{1}{24}$*: ut* πȣ̃ς *pede longior est.*

Dioscorides herbarum radices, caules, frondes describẽs, plerũque earum latitudinem digitis definit, ut de folijs thlaspeos loquens, herbula est, ait, angustis folijs ferè digiti longitudine in terram versis. Hinc δακτυλιαῖος, *hoc est, digitalis,* διδάκτυλος, τριδάκτυλος, τετραδάκτυλος, *mensuram habens duorum, trium, quatuor, digitorum.*

δοχμὴ *sic dicta ab accipiendo, similiter palmum Romanum exigua parte superat, vocatur & δῶρον: quæ vox & donum significat, quod dona palmis dantur.* παλαιστὴς *item &* παλαιστὴ ἀπὸ τȣ̃ παλαίειν, *quod est pugnis certare: unde & palæstra nomen habet, quia quatuor digiti conclusi ad pugnam sunt aptiores. Quod vero*

ex di-

ex digitis componitur : Græci etiam δακτυλοδόχμην vocant, quasi dicas, digitorum palmum.

ΛΙΧΑΣ *est intervallum inter pollicem & indicem, quando videlicet, quam fieri potest maximè distenduntur, complectens digitos decem, siue duos palmos & semissem. Hinc* λιχανὸς *nomen indicis est.*

ὀρθόδωρον, *latinè rectus palmus, seu recta manus, est interuallum inter primam partem palmæ,* καρπὸν *videlicet, & extremitatem medij digiti : vel inter extremitatem nasi & locum sincipitis, ubi pulueres capitales aspergi solent. lichadem uno digito excedit, constans undecim digitis.*

σπιθαμὴ *sic dicta* παρὰ τὸ ἀποσπασμὸν ποιεῖν ἀπὸ τοῦ ἄκρου τοῦ ἀντίχειρος πρὸς τὸ τοῦ μικροῦ ἄκρον, *id est, ab eo quod summam pollicis partem diuellamus à summa minimi digiti parte. Est enim spacium comprehensum inter digitum minimum & pollicem : constans ex palmis tribus, seu digitis duodecim.* ὀρθόδωρον *igitur uno digito superat, latinè dodrans, Germ.* ein spann. *Hac mensura non rarò utitur Dioscorides,* κλωνία *(inquit de aristolochia)* λεπτὰ ὡς σπιθαμῆς

τὸ μέγεθος, id est, ramulos tenues habet longos ferè dodrantem. Qui palmum duplicem faciunt, ÿ spithamam, palmum maiorem vocant. Hisce duobus palmis vulgus hodie utitur in mensurandis calceis, nempe manu extensa ab extremitate digiti minimi ad extremitatem pollicis, pro majore palmo, deinde medio digito in tergum inclinato ad mediam juncturam usque pro minore palmo. Hinc σπιθαμιαῖος, δισπίθαμος, τρισπίθαμος, πεντασπίθαμος. Plinius lib. 2. cap. 2. ait pygmæos ternas spithamas non excedere. Dioscorides leontopodion vocat σπιθαμιαῖον: ambrosiæ vero radicem δισπίθαμον: ipsam ambrosiam τρισπίθαμον. Xenophon rete vult esse πεντασπίθαμον, id est, altum quinque dodrantes.

ποῦς Græcus superat, ut dictum, Romanum pedem semuncia, id est, vigesima quarta parte: unde 24 pedes Græci 25 pedes Romanos faciunt. Ex eo formatur ποδιαῖος, pedalis: ἡμιπόδιον, semipes: τριημιπόδιον, tres semipedes & similia. δίποδος, duos pedes longus vel latus vel altus: διποδιαῖος, bipedalis: τρίποδος, id est, tres pedes longus, vel latus, vel altus. δίπους vero significat,

eum

eum qui habet duos pedes: τρίπους, qui tres: τετράπους, qui quatuor.

πυγμὴ *est mensura à cubito usq; ad digitos conclusos seu coarctatos, complectens decem & octo digitos, latine cubitus decurtatus minor. Hinc* πυγμαῖοι *dicti, quod* πυγμὴν, *hoc est, octodecim digitos longitudine non excederent.*

πυγὼν *est mensura à cubito usq; ad digitos flexos, continens 20 digitos. Latinè cubitus decurtatus maior, vel palmipes. Hinc* πυγούσιος *Homero: interpreti* πυγονιαῖος.

πῆχυς *est cubitus Græcus, major Romano* $\frac{3}{4}$ *unciæ: Mensura igitur unius pedis cum semisse & uno digito. Aliàs* ὠλένη, *latinis ulna, Germanis* ein elen *Hinc* πηχυαῖος, & πήχυος, *unius cubiti:* πηχίσκος, *stipes cubitalis:* δεκάπηχος, *decem cubitorum:* δωδεκάπηχυς, *seu* δυωδεκάπηχυς, *duodecim cubitorum: & similia. Vlna seu cubitus communis apud nos duorum pedum est. Merces diuersæ diversam habent: & alia loca aliam.*

ὀργυία *sic dicta* παρὰ τὸ ὀρέγειν καὶ ἐκτείνειν τὰ γυῖα, ὅ ἐστι τὰς χεῖρας, *id est, à porrigendo & extendendo membra, id est, manus. Est enim spa-*

cium, quod efficitur, si ambæ manus extendantur, & latitudo pectoris connumeretur, continens cubitos Romanos quatuor, nostros tres, siue pedes sex: latini passum Græcum vocant. Germani ein klaffter. Hinc fit ὀργυιαῖος, τετράοργυιος, πετραόργυιος & similia. Plinius ulnam vocat. Nam quod de pyramide dixit Herodotus τεσσαρακοντόργυιος, Plinius vertit quadragenarum ulnarum. Augustæ pedes quinq; cum dodrante orgyam, qua strues lignorum mensurari solet, ne fraus committatur, tum in altitudine, tum in latitudine constituunt. Cubitorum decem fuit maris ænei in templo Salomonico diameter: quinq; vero semidiameter.

πλέθρον, poëtis πέλεθρον, 100 est pedum. Latino caret nomine. Poëtæ latini iugerum vertunt, non interpretis, sed fabulas fingentis vice fungentes, ut ait G. Agricola. Xenophon de physco fluuio, τὸ εὖρος πλέθρου, hoc est, latitudo plethri. Hinc πλεθριαῖος, δίπλεθρον, unius, duorum plethrorum mensura. ἡμίπλεθρον, dimidium πλέθρον, continens pedes 50, aliàs ἄρουρα.

στάδιος & στάδιον, utroq; genere, sic dictum,

ἀπὸ

ἀπὸ τῆς στάσεως, id est, à statione, quod tanto spacio confecto uno spiritu Hercules substitisse dicitur. Latinè stadium. Fuit autem propriè non certæ mensuræ spacium: sed partis illius, quæ alicubi breuior, alicubi longior fuit, agonibus destinatum. Hinc aliud pythicum, aliud Olympiacum vocant. Illud pedibus mille: hoc quadringentis tantum constitisse aiunt. Communiter stadio tribuuntur pedes Græci 600: Rom. 625. Nam, ut inquit Plutarchus, ὀκτὼ σταδίων τὸ μίλιον. Est igitur octaua pars miliaris Italici, seu 32 Germanici. Hac mensura Græci, ut latini passu, locorum intervalla explicare solent. Ptolemæus ait 500 stadia in terra uni gradui cælesti respondere. At Erotosthenes & Plinius 700 numerant. Reuera autem 480 stadia (quatenus stadium 625 pedes continet) uni gradui respondent, quæ 15 milliaria Germanica efficiunt. Veteribus stadium dicebatur αὐλὸς: unde δίαυλος, diaulos, continet duo stadia, passus 200, respondens quartæ parti milliaris Italici.

ἱππικὸν, hippicum, sic dictum ab equis, qui hoc spacio ad cursum admittebantur, quatuor stadia continet.

μίλιον,

μίλιον, quod Græca mensura non est, sed à Romanis accepta, qui milliare vocant, constat 8 stadijs. Græci hac mensura utuntur, cum latinorum scripta commemorant: ut Strabo aliquot in locis.

δολιχὸς, vel δόλιχος, retracto accentu, propriè locus est, ubi equi sunt cursu exerceri soliti, cursu septies iterato. Erat autem spacium duodecim stadiorum, siue $\frac{3}{8}$ unius mill. Germ. Hinc illud dictum Demosth. apud Plutarchum. Noui stadio quidem Græcos bellum gerere & scire & valere: dolicho verò non item. Et illud D. Chrysostomi. Etenim qui postquam decem dolichos cucurrit, si post deficiat, omnem amisit laudem: dictum, quia scilicet duo adhuc dolichi erant decurrendi.

CVBITVM regium mensura Persica, πῆχυς βασιλήιος, est digitorum septem & viginti, à mediocri differens tribus digitis, ut scripsit Herodotus. Hujus meminit Gellius lib. 3. cap. 10. Præter hæc modum esse dicit summũ adolescendi humani corporis septem pedes: quod magis esse verum arbitror, quàm quod Herodotus, homo fabulator, in primo historiarum inuentum esse

sub

sub terra scripsit Orestis corpus cubita longitudinis habens septem : quæ faciunt pedes XIS, & quadrantem.

PARASANGES vel parasanga, etiam mensura Persica, 30 stadia complectitur: passus Græcos 3000. Romanos 3750, respondens ferè communi miliario Germanico. Tantum scilicet itineris, quantum una hora obequitando confici potest. Crebra illius apud Xenophontem fit mentio.

SCHOENOS, σχοῖνος Græcis, id est, funiculus, mensura Aegyptia, duas parasangas, siue stadia 60 continet : passus Græcos 6000. Romanos 7500. Ptolemæo, siue potius Marino, fuit triginta stadiorum. Hebræi funiculum vocabant eam portionem, quæ in agrorum divisione huic & illi obuenerat: transibatq́s vocabulum ad hæreditates & patrimonia : unde illud Ezechiel. 47. Ioseph duplicem funiculum habet.

LEVCA, mensura Gallica, quam sua lingua lieúe uocãt, in media Francia juxta Parisios brevior: in reliqua Gallia longior est. Abbas Vrspergensis illi tribuït 1500 passus. In Cadurcis & Tolosatibus & locis finitimis non multũ à communi

Germa-

Germaniæ milliario diſtat. Mediocris leuca duo millia paſſuum continet : & ſic ſcriptores pleriq; eam definiunt:ut ſit dimidium milliare Germanicum, quod dimidia hora ab expedito pedite confici poteſt. Meminit iſtius Ammianus Marcellinus.

ITER unius diei proprie nomen incerti intervalli eſt, quod ſcilicet uno die confici poteſt. Nam & dies à die diſtat, & hoc aut illo die miles aut quiuis alius citius aut tardius progreditur: Hoc vero ſpacium quidam produci ferunt ſtadijs centum & quinquaginta, id eſt, ferè quinq; milliaribus Germanicis : quot & Iurisconſultorum tabulæ diurnis itineribus conceſſerunt. Hebræi vocant prandium terræ, quod illo perfecto prandere vel potius cænare ſoliti eſſent. Græci σταθμὸν, *Romani caſtra, quod illo confecto in loco conſiſtere, & caſtra locare conſueuiſſent. Hinc illud ſæpius apud hiſtoricos: eò aut huc perventum primis, ſecundis, tertijs Caſtris, hoc eſt, primo, ſecundo, tertio die.*

RASTA Caſtrenſe vocabulum eſt, quo Germani milites certum viæ ſpacium olim indicabant. G. Agricola putat eſſe id intervallum,

quod

quod nunc latina voce milliare, nostra ein meil appellamus. A rasten, id est, quiescendo derivatum est: quod esset spacium, quo perfecto milites humi strati conquiescerent, ut ex lassitudine recreati mox rursus iter facere possent.

Diameter & semidiameter terræ sunt usitata mensura interuallorum Astronomis. Diameter terræ continet 1718. Semidiameter 860 ferè milliaria Germanica, ut cum dicunt. Maxima distantia Solis à terra æquat semidiametros terræ 1210, id est, milliaria 1040600. Maxima lunæ distantia à centro mundi continet semidiametrum terræ 64 vicibus, id est, miliaria Germanica 55040.

SCHOENOS igitur maxima mensura intervallorum continet duas parasangas: parasanga commune miliare Germanicum: miliare Germanicum duas leucas: leuca duo miliaria Italica: miliare Italicum duo stadia: stadium octo plethra: plethrum 100 pedes: pes duos semipedes: semipes duos palmos: palmus 4 digitos: digitus 4 grana.

IVGERVM.

Iugerum latinis anomalũ est, secundæ declin. in sin-

in singulari: tertiæ in plurali. Dicimus enim iugerum, iugeri, iugero: & iugera, iugerum, iugeribus.

Sunt autem duæ areæ quadratæ, singulæ centum viginti pedum: siue una area oblonga, longitudinis pedum ducentorum, quadraginta: latitudinis pedum centum viginti. Errat igitur Palladius, qui iugerum quoquo versus pedum centum octoginta esse tradit. Iugerum autem dictum, quod juncti boues uno die exarare possunt: vel quod duos in se iunctos actus quadratos contineat. Est igitur non linea, ut milliare: sed superficies, inter cæteras usitata maximè: qua minores sunt actus quadratus, versus quadratus, porca, clima, actus minimus. Maiores sunt Centuria, saltus, globi terreni superficies.

Actus quadratus undiq; finitur pedibus 120. Erit igitur tota eius area 14400 pedum quadratorum, estq; semißis jugeri, siue semiiugerum. Nam duplicatum, integrum iugerum facit. Sic dictus quod boues in eo agerentur, cum aratur uno impetu justo, ut ait Plinius. Is modus & mina latinè appellatur.

VERSVS quadratus quoquouersus centum pedum

pedum est. Erit igitur tota ejus area 10000 pedum. Sic dictus, quasi linea, siue versura. Comicis versura quadrata, qualis est in paginis, similis reflexioni in aratione.

PORCA in specie ager est, qui in latum habet 30 pedes, in longum 180. In genere porca in agro idem est quod lyra, terra nimirum elata inter duos sulcos, ein bett.

CLIMA Geoponicis, terræ spacium est, quoquo versus pedum 60. Erit igitur tota ejus area 3600 pedum: id quod apparet ex ductu 60 in se: Columellæ sescuncia jugeri.

ACTVS minimus, latitudinis pedes quatuor, longitudinis pedes 120 habet: aream 480 pedum.

CENTVRIA est ducentorum jugerum modus. Sic olim (ut ait Columella) à centum jugeribus vocabatur: sed mox duplicata nomen retinuit: sicut tribus dictæ primum à partibus populi tripartitò divisi, quæ tamē nunc multiplicatæ pristinum nomen possident. Erit igitur area centuriæ 5760000: longitudo 480000: latitudo 120000 pedum quadratorum. Et sic Varronis numerus falsus est, qui centuriæ latera facit

duum millium & centum: unde area emergit 4410000. Centuriale aruum, fundus centum jugerum, pro grandi sacerdotio Budæo.

SALTVS est pars territorij quadringenta jugera, seu quatuor centurias simplices continens, ut refert Varro lib. 1. c. 50.

PLANA globi terreni superficies 9278181 miliaria continet: unum miliare quadratum 6533 jugera. Totius itaq; globi magnitudo est jugerum 60617440. Huius magnitudinis duas tertias aqua obtinet, nec habitatur: reliqua tertia pars inhabitatur, continens jugerū 13134278.

Nomina superficierum incertæ quantitatis sunt ager, territorium, regio, prouincia, quinq; terræ partes, Europa, Asia, Africa, America, Magellanica.

AGER est pars saltus, quæ colitur, das bawland auff dem feld.

Territorium, regionis pars, cui civitas aliqua vel princeps dominatur, ein gebiet / sic dictum, quod magistratus ejus loci intra eos fines terrendi, id est, summouendi jus habet. Servius lib. 4. AEneid. quasi terribouium dictum existimat: Varro, quasi teriterium, quod maximè teritur.

REGIO

REGIO, pars prouinciæ, sic dicta, quod regatur ab aliquo principe, vel magistratu, ein land.

Provincia dicebatur Romanis regio, quæ longè ab Italia bello acquisita erat, ein landschafft. *Hinc prouincialis, ortus ex regione extra Italiã.*

Quinq; terræ partium plana superficies incerta est. Charta Coloniensis dubio calculo Europæ tribuit jugera 1316278. Asiæ 3194000. Africæ 3136000. Peruuiæ 2344000. Noua Hispaniæ 2744000.

RVRSVS jugerum mensuratur, ut as: & diuiditur tum in 288 scrupula, tum in 576 semiscrupula, quot as seu libra continet: ut habetur in schemate supra posito. As igitur, id est, tota area iugeri est pedum 28800. Deunx 26400. Dextans 24000. Dodrans 21600. Bes 19200. Septunx 16800. Semis 14400. Quincũx 12000. Triens 9600. Quadrans 7200. Sextans 4800. Sescuncia 3600. Vncia 2400. Semuncia 1200. Duella 800. Sicilicus 600. Sextula 400. Drachma 300. Semisextula 200. Scrupulus 100. Semiscrupulus 50.

A jugero est sesquijugerum, continens pedes

43200. Partium paßim autores meminerunt, ut Livius. Terna jugera & septunces uiritim diuiserunt. Et, bina in Latio jugera, ita ut dodrantem ex Priuernati complerent data: terna in Falerno: quadrantibus etiam pro longinquitate adjectis.

Vicentini in Italia, ut refert Leonardus de Portis, Campum vocant, partem terræ sexaginta perticarum in longitudine: quatuordecim in latitudine, qui modus triginta millia, ducentos & quadraginta pedes quadratos conficit. Hæc igitur agri mensura jugero antiquo major est, & seritur, ut idem ait, duobus starijs tritici cum dimidio.

Romani moderni rublum siue rubium appellant jugera septem, & jugeri septuncem, scrupula duo, & semissem scrupuli. Petiam vero spacium majus jugero cannis quadratis 42, & palmis 28: ut scribit L. Petus.

Nomina partium terræ hodie in Germania in varijs locis sunt varia, ut & areæ. Vocantur enim & morgenfelds / & jucharten / & dortacker / & manßmath / & tagwerck / & hufen / & hufacker / & artacker: inter quæ interdum

eadem

eadem est significatio: interdum tanta differentia, ut unum nomen plura significet.

In Suevia, ubi nos habitamus, jugerum longum est funiculis 13: funiculus autem 35 pedes continet: latum vero interdum septem, interdum octo funiculos. Est igitur longum pedes 455: latum interdum pedes 245: interdum pedes 280.

In vicina nobis Burgoia, jugerum, quod ein māß/ *id est, mensuram vocant, duplex est, maius & minus: illo agri & Campi: hoc sylvæ, & stationes arborum mensurari solent. Maius longum est pedes 360: latum 144: area pedum quadratorum 51840. Minus longum est pedes 288: latum 144. area pedum quadratorum 41472. Semijugeri igitur majoris area est p. 25920: minoris 20736. Et sic deunx, dextans, dodrans & aliæ partes utriusque investigari possunt, dispositis in regulam proportionum numeris hoc modo. 12 d. 51840. q. 11, 10, 9, & sic deinceps. Facta enim operatione prodibit* τὸ ἐπιβάλλον μέρος. *Longitudo vero & latitudo semijugeri potest esse varia: & inuenitur diuisione dati pro arbitrio unius lateris per numerū area.*

Quotus enim erit latus alterum. Sic semijugeri majoris si datum sit latus p. 180, erit alterum latus p. 288. Minoris autem si datum sit unum latus 72: erit alterum latus p. 576. Nam 288 est quotus numeri 51840 per 180 divisi: & 576 est quotus numeri 41472 per 72 diuisi. Similis est aliarum iugeri partium supputatio.

Instrumenta, quibus veteres, & nostri Geodetæ dimetiuntur intervalla, sunt decempeda, pertica, arundo, funiculus.

Decempeda, virga est decem pedum, Græcis δεκάπους *&* ἄκαινα. *Boëtio tantummodo pertica. Eo ferè spacio à vicino abesse lege 12 tabularum jubetur is, qui ficum aut oleam in agro plantauerit. Nam si quid aliud severit, satis est, quinque abesse pedes. Ordine igitur vicies quater posita pertica longitudinem: duodecies uero latitudinem jugeri Romani mensori expedit: & mox partes assis suo numero indicat. Nam latus breuius pert. 12 est as: 11 deunx: 10 dextans: 9 dodrans: 8 bes: 7 septunx: 6 semis: 5 quincunx: 4 triens: 3 quadrans: 2 Sextans: $1\frac{1}{2}$ sescuncia: 1 uncia: semuncia $\frac{1}{2}$: & sic deinceps. Decempeda meminit Cicero primo Academicarum*

rum quæstionum libro. Solis magnitudinem quasi decempeda metiri. Et Suetonius in Augusto de centurionibus. Pro delictorum genere varijs ignominijs affecit, ut stare per totum diem juberet ante prætorium, interdum cum decempedis. Hinc decempedator, qui & metator à Plauto, & finitor à Cicerone dicitur.

PERTICA est mensura sex pedum, sic dicta, ut Isidorus tradit, à portando, quia portetur: reliquæ autem omnes mensuræ sunt in corpore. Germ ein meßruten. *Budæo hexapus, siue hexapeda. Pertica quadrata* ein freützruten: *quæ à simplici plurimum differt. Continet enim pedes 36. Cum igitur, verbi gratia, Lipsiæ 450 perticæ quadratæ unum jugerum faciant, erit id longũ pert. 45, latum 10: area vero non 2700 pedum, sed 16200. Non eadem vero ubiq; locorum est perticæ quantitas. Parisijs quidam vicenûm quinûm pedum esse ajunt: alij 22, qua Budæo assumta est, & centies multiplicata jugerum constituit. Kemnicij in Misnia, ut scribit G. Agricola, longa est pedes 15. Hic igitur pertica quadrata facit pedes 225. Et area 450 perticarum faciet pedes 101250.*

ARVNDO, Hebræis Cana, Græcis κάλαμος, latinis etiam calamus, est cubitorum sex perfectorum, vel septem communium, id est, pedum 10½: & sic decempedæ penè par. Cubitus enim perfectus est palmicubitus, mensura 28 digitorum. Hujus meminit Ezechiel c. 40.

FVNICVLVS, Græcis σχοῖνος, est & mensuræ, & instrumenti mensoris nomen. Germanis ex Græca origine ein schnur. *Hoc instrumentum Burgoici nobis vicini, 36 pedibus definiunt: & sic jugeri majoris unū latus est fun. 10, alterum 4, area 40. Minoris unum latus fun. 8, alterum 4, area 32. Sueui 35 pedibus funiculum metiuntur.*

Romani moderni relictis perticis, Canna & Staiolo utuntur. Canna constat ex spithamis decem, id est, pedibus 7½. Sic dicta à palis arundineis, canne vulgo ex origine Hebraica, appellatis, qui eiusdem ferè longitudinis esse solent, & ubiq; magis quàm perticæ in promtu haberi possunt. Iura municipalia passum senatus vocant, quo in mensurandis lignis Romani utuntur: sicut strues lignorum sit longitudinis spithamarum decem, totidemq; altitudinis, ut refert

fert L. Pætus. Maior itaq; quàm ſpacium orgyæ, quæ apud nos in uſu eſt.

Staiolus eſt menſura conſtans ex ſpithamis quinq; & dodrante: ſic dicta à palis opilionum, quos ſtaiolos vocant, eo quod ſtantes retia ſuſtineant ad continendas oves. Eius enim ſunt longitudinis, cuius inſtrumentum menſoris.

PONDVS.

Pondus ſic dictum à pendo, ut toga à tego, eſt menſura τοῦ βάρους, *qua res eaſdem graves aut leues cenſemus, Græcis* σταθμὸς, *Germanis* ein gewicht. *Appellatur & pondo, addito vocabulo libra, ut, habet pondo, id eſt, pondus, trium, centum librarum. Sic Liuius, Corona, inquit, aurea libræ pondo. Eſt enim indeclinabile, nominatiui, genitivi, accuſativi & ablativi caſuum. Sic* ὁλκὴ *Græcis pondus eſt, cum ad drachmam adjungitur, ut Dioſcorides,* ὁλκῆς δραχμῶν ζ, *id eſt, pondere drachmarum ſeptem. Eſt autem vel Romanum, vel Atticum, vel Hebraicum, vel alterius nationis. Rurſus vel medicum, vel negociatorium, vel hippoiatricum. Rurſus vel vetus, vel recens, deniq; vel maius vel minus. Majus eſt, quod libram excedit, ut centumpon-*

dium. Minus sunt partes, in quas, ut as, libra dividitur, easq́ uel æquales, vel dispares. Aequales sunt, semisses duo, trientes tres, quadrantes quatuor, sextantes sex, sescunciæ octo, unciæ 12. Dispares sunt deunx & uncia, dextans & sextans, dodrans & quadrans, bes & triens, septunx & quincunx. Peculiaria nomina eaq́ latina sunt: granum, semen, glans, nux pontica, & regia, scrupulus, tremißis, semisextula, victoriatus, denarius, sextula, sicilicus, duella, semuncia, uncia, sescuncia, sembella, libra. Græca sunt, λεπτὸν, χαλκὸς, ὀβολὸς, δραχμὴ, τριώβολον, τρίδραχμον, μνᾶ, τάλαντον. Arabica sunt hæc. Kestuf, Kirat, danich, onolossat, garme, darchimi, sacros, rotulus, manes. Germanica sunt, meitle / esch / gren / gran / krat / quintlin / lot / marck / pfund / centner / stein / quintal. Hippoiatrica sunt, quibus mulomedici Græcorum utuntur: suntq́ eiusdem nominis, cujus latina, sed diversi ponderis.

Granum, Græcis σιτάριον, à σῖτος, id est, frumento. Est enim propriè semen frumenti, idq́ trium generum, quorum hic usus est, hordei, zeæ, tritici. Ex quibus aliqui triticũ zea, zeam

siue

siue far hordeo ponderosius faciunt, sed perperam. Inter hæc enim aut nulla aut exigua gravitatis est differentia: & ferè hordeum nostrū grano zeæ, & tritici gravius obseruatur. Granum uero hordei plerią; ad pondus minimum assumunt, quod illud, quamvis aliud alio, sicut cæteræ fruges, sit gravius, tamen minimam ponderis differentiam admittit. Alÿ granum metallicum, quod mutationi non est obnoxium, pro basi omnium ponderum usurpant, quod uni grano piperis albi pleniori respondet. I. Capellus triplex granum facit, Atticum, Romanum, Hebræum. Atticum est pondus ejusmodi, ut octo grana Græca, septem Romana: novem grana Attica, Hebræa decem pendeant. Est igitur granulum Atticum Romano leuius: Hebræo vero gravius. Rursus granum est nomen æquivocum. Vulgò minimum pondus est. Gemmularÿs, quos à Gallico ioyer, id est, oblectādo, siue ioyau, quod est κειμήλιον, ioylier vocant, minimum pondus est carruba & minutulum: granum autem Romana grana sexdecim. Nostri pharmacopolæ grano metallico, aut grano piperis albi utuntur.

Semen est vel leguminum, vel fructus unius.

Semen

Semen leguminum est lentis, ciceris, lupini, fabæ. Semen lentis, sive lenticulæ æquatur semini hordei: quoddam ut plurimum paulo minus est. Granum igitur metallicum ut constat interdum duobus: sic interdum quatuor granis lentis, ut obseruaui.

Semen ciceris pendet grana duo cum semisse, ut refert Mercurialis: quod verum est de grano metallico. Quod si enim grana hordei quis appenderit, illa tria pluraúe reperiet.

Semen lupini pendet sex grana metallica, cum besse: lenticulas, octo & totidem hordea, & duo, semina ciceris cum besse.

Semen fabæ nostratis majoris, ut & Græcæ pendet scrupulum unum. Alexandrinæ scrupulum cum semisse. Syræ semidrachmam cum una tertia. Aegyptiæ duos scrupulos.

Semen fructus est siliqua, nomine cum fructu communicato, Græcis κεράτιον: Italis Charoba: unde Carrubæ, & Characti nomen corruptum, idem significans oritur. Pendet grana hordei quatuor: piperis tria cum semisse, & dimidium lupinum.

Glans, ut quidam ex Græcis scribit, pendet drach-

drachmam ſemis: nux pontica integram: regia, ſiue iuglans, ut tradit Cleopatra, quatuor.

Scrupulus continet quatuor minores lupinos, ſex ſiliquas, ſemina ciceris octo, lẽticulas ſeu grana Attica: ſeu hordea 24, grana Romana 21: metallica 20. grana Hebræa Attica $26\frac{2}{3}$.

Hæc igitur diſtinctio controuerſiã de quãtitate ſcrupuli, quæ diverſa eſt paßim apud autores, tollit: nec pharmacopolæ noſtri, qui ſcrupulo viginti metallica grana tribuunt, male Nicolaum & Salernitas ſequuntur. Medici fabam Græcam Galli denarium καταχρηστικῶς *& treſellum vocant.*

Tremißis eſt unus ſcrupulus cum una tertia, ſic dictus, quod ſit tertia pars aßis, id eſt, ſolidi ſiue aurei: ſeu quod ſolidum facit ter miſſus.

Victoriatus Scribonio, aliȷs quinarius, valet ſcrupulum unum cum ſemiſſe. Celſus maluit ſemiſſem denariȷ loco eius ſcribere, ut lib. 5. c. 17. Panacis p. ★ ſemis, id eſt, pondo denarium ſemis. Græci ἐϑῦαν *vocant. Pro nota enim Græcæ drachmæ △ notam denariȷ ★ ponit.*

Semiſextula ſunt duo ſcrupuli. Continet enim

enim grana 48. Est igitur uncia unciæ. Habet enim uncia semisextulas duodecim.

Denarius sunt tres scrupuli: sic dictus à decẽ aßibus: ut quinarius à quinq;. Fuit enim & nummus & pondus. Celsus denarium in sex sextantes diuidit: & sic sextans dimidium scrupulum facit, id est, obolum.

Sextula, continet scrupulos quatuor, sive denarium unum cum una tertia: sive duos victoriatos cum duabus tertijs. Hæc & aureus solidus fuit dictus, quia nihil illi deesse videtur: cum & semissem & tremissem contineat. Semissis est scrupuli $2\frac{2}{3}$: tremißis est $1\frac{1}{3}$.

Sicilicus valet scrupula sex, sive duos denarios, sive quatuor victoriatos. Dicitur vero & genere neutro sicilicum.

Duella continet scrupulos octo, sive sicilicum unum cum duobus scrupulis.

Semuncia pendet scrupulos 12, sive denarios quatuor. Hinc tetrasarius Marcello dicitur.

Vncia habet scrupulos 24, sive tres binas sextulas. Celsi uncia est septem denariorum: quod aliquando septem denarij æquales fuerunt octo drachmis Atticis: ut testatur Plinius lib. 33. c. 9.

c. 9. Iustum denarij pondus est, cum 84 è libra signantur. Nam 84 denarij valent 96 drachmis, id est, libræ: unde sequitur, ut septem, octo valeant sic. 96. d. 8. q. 84. d. 7.

Rursus uncia, ut as in 12 partes dividitur. Vncia unciæ sunt duo scrupula, quæ alio nomine semisextula dicitur; sextans scrupula 4: quadrans scr. 8. triens scr. 6. & sic deinceps.

Sescuncia pendet scr. 36: sive denarios 12. Hinc pondus sescunciale.

Sembella est libella semißis.

LIBRA, sic dicta à librando. Significat autem vel propriè, vel figuratè. Propriè, instrumentum duas habens utrinque lances, quibus æqualiter vel inæqualiter constitutis, iustum rerum, quæ appenduntur, pondus deprehenditur: ut cum inquit Cicero. Quo loco quæro, quam vim habeat libra illa Critolai, qui cum in alteram lancem animi bona imponat: in alteram corporis & externa, tantum propendere illam bonorum animi lancem putat, ut terram & maria deprimat. Figuratè significat certum pondus, quo omnia ponderanda librantur, includens omnes partes minores, & maiores à se denomi-

nominans. Appellatur & as, & hemina & pondo, Græcè λίτρα.

As dicitur, quod æs, siue as, æreus nummus, olim erat libralis, & inde quoq; aßipondium vocabatur.

Hemina appellatur, quod hæc, ut libra, in duodecim uncias divisa esset: unde sextarius, heminæ duplus, bilibre cornu vocat Horatius.

Pondo dicitur, cum absolute ponitur, ut, habet pondo tria, id est, habet libras tres.

λίτραν Græci, quasi λίβραν, Romana voce appellant. Nam, ut inquit Galenus, patria sunt hæc nomina libra, sextarius, uncia.

A libra fit librarius, libralis, libripens. Sextarius librarius dictus, quod hordeo plenus libram penderet. Sic Columella inquit. Caro in frusta libralia conciditur. Libripendes, inquit, Plinius, dicti militum stipendiorum, hoc est, stipis ponderandæ pensatores. Budæus ponduscos vocat.

Est autem libra multiplex: numularia, Græca, Romana & Regia.

Numularia est unciarum octo, beßi Romano exactè respondens: unde & octonaria dicitur.

Hæc

Hac monetarij & aurifices & vascularij utuntur. *Germanis* ein marck.

Græca est propriè Græcorum mna seu mina, constans uncijs 12 & drachmis quatuor, seu drachmis centum: unde & centenaria dicitur. Colligitur id ex Galeno, qui lib. 6. de medicamentorum compositione sic inquit. Pro libra interdum centum drachmas scribunt ijdem: interdum vero pro mina. Hanc passim autores veteres intelligunt, & Romani etiam summo in usu habuerunt, propter mercaturæ, rerumq́ue omnium cum Græcis communionem.

Romana, eaq́ue antiqua semper fuit à Græcorũ mina diversa, constans è duodecim uncijs seu drachmis 96: unde & exacta & proprie as fuit & pondo. Incidit enim in rationem assis. Græcis λίτρα σταθμικὴ, *id est, ponderalis. Mensurat enim tum pondus, tum molem. Hac nostro tempore Medici & pharmacopolæ utuntur: unde & Medica dicitur.*

REGIA est publica, qua mercatores hodie ut plurimum utuntur, qui appensas merces venditant: unde & mercatoria, siue mercalis, & ciuilis & Zygostatica dicitur, à Zygostatis, qui

sunt libripendes per urbes constituti, estq; apud nos & plerisq; in locis 16 unciarum.

Libra ἀντιῤῥέπουσα, est ad lapsum uergens & præponderans, hoc est, legitimo suo pondere aliquanto grauior: ut μέτρον καλὸν, πεπιεσμένον.

Pondera majora, quæ libram excedunt, omnia à libra & pondo appellationem capiunt: ut bilibre, trilibre, id est, duarum, trium librarum & sic deinceps. Sic dupondium, & duapondo, trepondo: & hinc adiect. dipondiarius, vel dupondiarius, ut, orbiculus dipondiarius, pro duarum librarum. Tandem centumpondium, sive centena pondo, quod centum librarum pondus significat: ut, torques aureus centum pondo. Reliqua, quæ antecedunt, & sequuntur περιφραστικῶς exprimi solent, ut, decem pondo auri, mille pondo, bis mille pondo.

GRAECA NOMINA PONDERVM.

λεπτὸν & ponderis & nummi minutissimi nomen est: latinè minutum, Senecæ minutia. Nullum enim pondus, vel nummus eo minor est, ideoq; dividi non potest. Quidam ferè unam quartam grani faciunt: quod granum minuta tria cum dimidio contineat.

χαλκοῦς

χαλκὸς, chalcus, latinè æreolus, pendit grana duo, lepta ſeptem. Eſt itaq; ferè granū noſtrū metallicum, vel granum piperis craßius. Tot granis leviores nonnullos aureos (quos deglutierat & eiecerat) quidam ſingulos redditos fuiſſe invenit: tenuibus ſcilicet eorū partibus reſolutis, at non liquefactis. Hinc δίχαλκος, duplicatus χαλκὸς, latinè ſiliqua, grana quatuor, lepta 14.

ὀβολὸς, latinis ſimplium, Chaldæis Maha, Aegyptijs drachma, eſt dimidium ſcrupulū. Pendit grana 12, lepta 42. Fernelio grana Romana 10. Fuit autē & ponderis & nūmi nomen. Ab obolo eſt ἡμιώβολον καὶ ἡμιοβόλιον, latinè ſemiobolus, continens grana ſex, lepta 21. Et διώβολον, duos obolos: & τετρώβολον, quatuor obolos pendens.

δραχμὴ, drachma, latinè denarius, pendit grana Græca 72, Romana 63: grana piperis albi ſexaginta. Aequipollet nuci paruæ, quam ponticam & avellanam vocant. Quod vero ſcrupulos tres continet, characterē ternarij habet ſic. 3. Vocatur & ὁλκὴ Græcè, in ſpecie. Hoc enim nomē in genere interdum pondus ſignificat, ut cū Dioſcorides dicit, ὁλκὴ τριωβόλου, pondus triū obolorū.

A drachma eſt δραχμιαῖος, drachmā pendens.

Et ἡμίδραχμον, semidrachma, scrupulus unus cum semisse, quod & τριώβολον vocatur, quod tres obolos, id est, grana 36 contineat. Idem Oribasius ilarium, vel potius Illyricum vocat, quod primum ex Illyrico aduectum, & deinceps lege pro nummo percussum Romæ. Balanus Dioscoridi. Aequipollet fabæ Alexandrinæ.

Et δίδραχμον, τρίδραχμον, τετράδραχμον, quod duas, tres, quatuor drachmas pendit. Posterius Atticos vocare τέτραχμον Ammonius scribit.

Μναῖ, latini minam vocant. Est autem minæ vocabulum æquivocum. Nam & pinnam significat, id est, muri summum, quod Græcis est ἔπαλξις, ut cum inquit Virgilius.

-- -- Pendent opera interrupta, minæq;
Murorum ingentes, æquataq; machina coelo.

Sic mutulos vocant partes extantes, inter quas spacia quædam aperta relinqui solent. Deinde idem nomen & pondus & monetarum numerum significat: Hebræi maneh vocant. Sic autem dicitur à radice manah, quod rem per partes seu numeros subducere significat. Pro ponde-

Pondere accepta, multiplex est, Medica, Ptolemaica, Alexandrina, Attica, Hebraica.

Mina Medica, quæ & Aegyptia, 16 uncias pendit uncias Atticas 128. Sic enim Dioscorides. ἡ μνᾶ κατὰ τὴν ἰατρικὴν χρῆσιν ἄγει οὐγγίας ιϛ. τουτέστι ὁλκὰς ρκη. *Hujus meminit emplastrũ quartum Andromachi.* τερμινθίνης μνᾶν μίαν. *Hac, ut & Attica majore usi sunt Medici propriæ patriæ mores secuti. Est igitur libra nostra civilis.*

Ptolemaica seu Syriaca pendit uncias octodecim, sive sesquilibram Romanam. Sic dicta à Ptolemaide urbe Phœnices, cui fuit peculiaris. Dioscorides minam Italicam vocat. Hujus meminit Cleopatra.

Alexandrina, quam Serapio Romanam vocat, pendit viginti uncias. Galeno ἀλεξανδρειωτική. *Meminit eius Moschion vetus Medicus, in emplastro suo.* λιθαργύρου μνᾶ α. *Quod Asclepiades interpretans, ait eam esse drachmarum 160.*

Attica rursus duplex: minor & maior, inter quas est propertio subsesquitertia, ut 3 ad 4. Minor enim, quæ & vetus, fuit 75 drachmarũ.

Major, quæ & noua & Solonis & perfecta dicitur, pendit drachmas centum: libra Romana maior drachmis quatuor.

Hebræa mina, vel libra Hebraica, duplex est, una minor: altera maior. Minor est drachmarum Atticarum 120. Major, minoris dupla, & omnium reliquarum nationum maxima, pendit drachmas 240, siue libras Rom. duas cum semisse. Hujus meminit Ezechiel cap. 45. Siclus est viginti gerarum: viginti sicli, quinq; & viginti sicli, decem & quinq; sicli mina erunt vobis, id est, mina facit sexaginta siclos. Iam 20 geræ sunt 240 grana: unde 60 sicli 14400 grana, id est, 240 drachmas, seu libras duas cum semisse faciunt. Quidam minorem reijciunt: & solam magnam tuentur.

ἀπὸ τῆς μνῆς *fit* μναιαῖος, *minæ pondus habens. Et* ἡμιμναῖα, *latinè semimina, continens drachmas quinquaginta, si mina sit Attica major, quæ ut plurimum intelligitur.*

τάλαντον, *latinè talentum, una litera mutata, & facta terminatione latina, nomen æquivocū est. Primò libram & lancem significat, sic dictū* ἀπὸ τοῦ τλῆναι τὸ βάρος, *hoc est, ab eo, quod onus*

sustine-

sustineat. Hujus meminit Aristoph. ubi ait. τα λάντῳ μουσικῇ κριθήσεται, hoc est, lance Musica judicabitur. Deinde aliquam auri & argenti portionem, eamq́ vel paruam, vel magnam, quæ lanci imposita ponderatur, parua, ut talentum Macedonicum, quod erant tres aurei. Magna, ut Atticum, Euboicum, Hebraicum.

Atticum plerię duplex faciunt, minus & majus. Minus est 60 minarum, drachmarum 6000: majus 80 minarum, drachmarum 8000, cui æquale est Aegyptium. Alij unum tantum agnoscunt, nempe minus: quodq́ majus dicitur, Euboicum vocant, & id autoritate Livij probant, ubi ait. Argenti probi Attica talenta duodecim millia dato intra duodecim annos pensionibus æquis. Talentum ne minus pondo octoginta Romanis ponderibus pendat. Hic enim Attica appellat, quæ supra Euboica vocauit: & pondo pro libris & minis posuit. Libræ octoginta ponderis Romani faciunt drachmas 7680: totidem minæ Atticæ drachmas 8000. Magna igitur Senatus Romani indulgentia, & liberalitas, qui de summa talenti unius, quam Consul petierat, 320 drachmas remisit.

Hebraicum talentum, Hebræis Chicar, Germanis ein zentner / *à verbo Kor, deriuatur, id est, fodit, perfodit, excidit, quod formam orbicularem habuit. Eiusdem originis est Corus, mensura apud Hebræos rerum aridarum maxima, dicta à cauitate, ut Chicar maxima rotunditas vel in pondere vel in nummis. Continet autem minas Atticas centum viginti : uncias 1500, drachmas 12000. Id & Iosephus lib. 3. cap. 7. disertè affirmat, & Hesychius, qui ait.* τάλαντον ὁλκὴ λιτρῶν ἕκατον*: per* λιτρὰς *minas Hebraicas minores intelligens. Quod autem Epiphanius talento Hebraico libras 125 tribuit, de Romano pondere, quod est drachmarum 96, eum loqui doctiores judicant.*

Aliorum talentorum, quorum autores meminerunt, mentionem hîc nullam facimus, quòd eorum usus nec frequens sit, nec confusionem vitanti opportuna videtur.

A talento deriuata & composita sunt hæc.

ταλαντιαῖος*, pondere talenti sive talentarius ; ut Sisenna. Balistas quatuor talentarias. Et Strabo,* ταλαντιαίους κρίους.

ἡμιτάλαντον*, dimidium talentum, quod cum*

alijs

alijs numeri nominibus usitatè conjungitur.

ἡμιτάλαντον τρίτον, *tertium semitalentum, id est, duo talenta integra cum tertio dimidio.*

ἡμιτάλαντον τέταρτον, *quartum semitalentũ. hoc est, tria integra talenta cum quarto dimidio.*

ἡμιτάλαντον πέμπτον, *quintum semitalentũ, id est, quatuor integra talenta cum quinto dimidio: & sic deinceps. Sic lege XII tabul. duo pedes & semissis tertius pes vocatur.*

διτάλαντον, τριτάλαντον, δεκατάλαντον, *quod duo, tria, decem talenta continet. Sic* δεκαταλαντία, πεντηκονταλαντία, ἑκατονταλαντία, *pro decem, quinquaginta, centum talentis.*

πεντετάλαντος δίκη, *actio debiti quinq; talentorum.*

ἑκατονταλάντους φεύξει γραφὰς, *accusabitur de centum talentorum debito.*

NOMINA ARABICA.

Kestuf, χαλκοῦς *Græcis, latinis æreolum, ab Hebræo Keseph, quod argentum, & in genere pecuniam significat. Hinc Germanicum* gifften/ *anhelare, quod pecuniæ* γῆσ τιμίου, *desiderium omnes homines teneat. Pendit duo grana.*

G 5 *Kirat,*

Kirat, κεράτιον Græcis, latinis siliqua, pendit grana 4.

Danich, θέρμος Græcis, latinis lupinus. Sic dictum à thanah, donauit, unde Græcũ δανείζω, mutuo do & dono: & Hebraicum Ethnah, merces. Pendit 8 grana hordei: id est, duplicatam siliquam.

Onolossat, à Græco nomine, quod est ὀβολὸς, cui æquipollet, deriuatur, mutato β in v, & ad finem eius nominis adiecto sat. Interpres Avicennæ onolum reddit. Pendit grana 12. Hujus meminit Serapio, cum ait de agarico. Duo onolossat cum vino conferũt punctionibus, & humoribus viscosis, crudis, & illi, qui cecidit.

Garme, à Græco γράμμα, id est, scrupulo, cui æquipollet, dictum, facta transjectione & immutatione literarum. Alias Karmet, & Kermet corruptè ex eodem fonte. Hujus meminit Auicenna, ubi de polypodio loquitur. Et potio ejus sit sex Kermet, id est, usq; ad drachmas duas.

Darchimi est Græca uox δραχμὴ, Hebræis darkemon. Hujus meminit Auicenna, ubi ait. Cyathus olei est darchimi XII. Idem pondus Arabes & Alki vocant, ex corrupto Græco ὁλκὴ,

quod interdum drachmam significat. Hujus meminit Serapio, ubi ait. Quando bibitur ex folio pini pondus alki cum aqua & melle.

Sacros Arabibus uncia dicitur, ex Hebræo Schokar, quod præmium seu mercedem significat: unde & γέρας per methathesin Græci vocant.

Rotulus libram denotat, sic dictus ex Hebræo Rethet, quod est rectum & iustum, unde Germanicum recht & richten/& Græcum ὀρθόω. Libra enim justitiæ symbolum est. Hujus meminit Rhases lib. 12. c. 1. Recipe Staphisagriæ rotulum unum. Sic libram Rotolo vocant & hodie Siculi, Arabes, Aegyptij & alij.

Manes, ut & mina, quam denotat, ab Hebræo verbo maneh fluxit: ut & pleraque alia. Arabicæ enim multæ voces Hebraicis naturali quadam cognatione junguntur. Pendit autem uncias sedecim. Hujus meminit Serapio, de vino Scillitico loquens. Accipitur Scilla & mundatur & inciditur, & accipiuntur ex ea tria manes, & projicitur super eam ex musto bono Italiæ amphora una.

NOMINA GERMANICA.

Meitle/

Meitle/*minutulum, gemmularijs est sexta & trigesima grani Romani pars. Granum igitur Romanum triginta sex minutula continet.*

Eß & esch *est monetarijs momentum, quod &* stüplin *dicitur, estq; octaua & sexagesima drachmæ pars: sic dictum ab as. Vocatur &* grenlin/ *id est, granulum.*

Gren & gran πολύσυμον *est. Communiter utraq; uox significat semē frumenti, vel piperis: unde & vox fluxit. Monetarij vero inter hæc duo differentiam faciunt: &* gren *vocant quatuor siliquas, id est, sexdecim grana:* gran/*bina scrupula, id est, quadraginta octo grana.*

Krat/ *est similiter nomen ambiguum corruptè charactus, Primò enim significat proprie siliquam, à Græco κεράτιον, ualentē quatuor grana. Deinde gemmularijs pondus est pendens viginti quatuor minutula, grana Romana duo. Tertio monetarijs sunt scrupula octo, seu grana 192. Quarto aurificibus auri nota siue indicatura, sive character, quo significant vicesimam quartam cujuslibet aurei corporis partem. Itaq; aurū viginti quatuor characterum est, cui nihil ad perfectionem deest: aurum viginti trium characterum,*

ſterum, cui viceſima tantū & quarta pars alieni metalli admixta eſt. Hiſpani quilates vocant.

Marck/marca, Hiſpanis Marcus, eſt bes libræ Romanæ, ſemiſsis civilis, continens ſextulas 24, id eſt, uncias octo. Marcam vocant, quaſi limitem, quod ſit terminus menſuræ ponderum apud aurifices & metallarios. Eſt igitur inter gren & gran ratio ſubtripla: inter gran & Krat ſubquadrupla: inter Krat & Marcam ſubvigecupla quadrupla. Marca enim grana 4608 continet.

Monetarij in quintulas 64 dividunt: quintulam in momenta 68: unde colligitur marcam conſtare ex momentis 4352.

Quintlin/latinè quintula, ineptè à numero quinario ſic dicta, cum ſit potius quartula. Eſt enim octaua pars unciæ, & ſemunciæ quarta, Gallis groſſus. Continet minutula 2268.

Lot/loto, eſt ſemuncia, ſic dicta quaſi tlot, corrupta voce à talento.

Pfund eſt libra, ſic dicta à latina voce pondo, & hoc nomine in eadem ſignificatione etiamnum utuntur non tantum Germani, ſed & Angli, Begæ, Cares, Hungari, Poloni, Sclaui.

Centner

Centner *est à latina voce centenarius, qui & centumpondium dicitur, sic dictum, quod centum libras contineat. Est vero centenarius varius, pro ratione tum loci, tum rerum, quæ ponderantur. Ratione loci alius est Augustanus, alius Norimbergensis, alius Vlmensis, alius Venetus, alius Viennensis, alius aliorum locorum: item alius terrestris, alius nauticus. Ratione rerum, quæ ponderantur, alius est auri & argenti, alius plumbi, alius ferri, alius butyri, & sic deinceps.*

Augustanus idem est in omnibus mercibus, pendens 100 libras civiles: Norimbergensis 103. Vlmensis 95, Venetus 60, Viennensis 115, pondo nauticum 280. Auri & argenti centenarius est librarum centum ubique. Ferri vero alicubi libræ 116. Plumbi 112. butyri, caseorum & aliarum rerum nonnullarum 108.

Stein *est lapis, pars centenarij alibi alia. In Silesia pendit 24 libras. Sexdecim lapides VVratislauiæ faciunt Norimbergæ tres centenarios.*

Quintal *est pondus Hispanicum, sic dictum ab Hebraico Cicar, Iosepho chincar: r in al mutato.*

tato. Vel à latina voce centenarius, quasi cental. Pendet centenas libras civiles: ut chicar centenas minas unciarum quindecim. Vlyßiponense quintal facit Antuerpiæ libras 108. Diuiditur in quatuor arrovas, quarum singulæ libras civiles 25 faciunt.

Centumpondium igitur, maximum pondus, centum libras continet, libra 12 uncias, uncia duas semuncias, semuncia duellam cum semiſſe: duella ſicilicum cum duobus ſcrupulis, ſicilicus unam ſextulam cum duobus ſcrupulis: ſextula duos victoriatos cum ſcrupulo: victoriatus dimidium denarium: denarius tres ſcrupulos: ſcrupulus 24 grana.

AMPHORA.

Amphora eſt præcipua menſura molis, ut pes intervalli. Eſt autem menſura molis alia liquidæ, alia aridæ, alia utriusq; ſimul. Menſura molis liquidæ eſt gutta, chema, myſtrum, concha, congius, amphoreus, metreta. Hebræis ouum, logus, batus, bakbuk. Menſura molis aridæ eſt chænix, Semodius, modius, medimnus. Hebræis Epha, Cabus, Hin, Gomer, Seah, letech. Communis utriq; eſt cochlear, cyathus, oxybaphum, quarta-

quartarius, hemina, sextarius, urna, amphora, culeus. Hebraeis Kara & Corus.

Porro tum Romani tum Graeci pondere mensuras tum liquidae, tum aridae molis examinare consueverunt. Vt autem liquidorum, ita & aridorum alia alijs ponderosiora sunt. Oleum inter natiuos liquores omnium leuißimum. Vinum oleo, mel vino gravius est: vino in pondere aequalis est aqua pluuia, vel alioquin pura, neq; terra, neq; succo, neq; lapide, vel materia metallica permixta. Sic oleum purum, hoc est, ab amurca seu fecibus purgatum, impuro leuius est: mel eodem modo despumatum stillatitio ex favis levius. Et vinum factitium, & oleo & natiuo vino levius est: ut & aquae igne percoctae reliquis sunt leviores.

Differunt igitur moles & gravitas liquorũ, id est, mensura eadem diversis rebus plena diversa sortitur pondera, & quidem hac proportione, ut & unciae mensurales decem ponderales aequent. Vinum superat oleum nona parte: & moles mellis eadem cum vino uniuersum vini pondus habet, & praeterea tertiam eius partem.

Idem

Idem autem mel dimidio ferè gravius est oleo. Habet enim olei pondus, & præterea ejus dimidium. Quare mensura repleta melle, vino & oleo, quæ capit mellis uncias quindecim, ferè capit vini uncias decem, & olei nouem.

Sic triticum ponderosius est farre: far hordeo: hordeum avena. Vna mensura, quæ capit tritici uncias quindecim vel etiam 18, continet hordei unam libram. Est enim hordeum sesquialtera ferè ponderis ratione levius frumento. Et aurum ponderosius cæteris metallis. Sic chænix argento plena centum libras pendet: eadem si auro compleatur, libras 125 ponderat.

Arida igitur maxima ex parte mensurantur: humida frequentius ponderantur: & rursus vinum ferè mensura: contra pondere seu libra mel & oleum æstimatur. Sic libræ unguenti fit mentio in Evangelio, scilicet nardi pisticæ preciosæ, (qua Maria Lazari Bethaniensis soror unxit pedes Domini) cujus precium trecentis denarijs æquiparatur.

MENSVRAE LIQVIDORVM.

Gutta est mensurarum minima, qua Medici

utuntur in oleis destillatis, ut anisi, caryophyllorum, cinnamomi. Est autem sexagesima pars drachmæ, & ferè par grano. Hujus meminit tritus vulgo versiculus. Gutta cavat lapidem, non vi (vel bis) sed sæpe cadendo.

CHEMA, χήμη, mensura Græca, capit guttas aquæ vel vini 160, seu scrupula octo: pendit oleo plena septem scrupula, cum 4 granis: melle plena scrupula 12, seu drachmas quatuor. Est enim una quinta cyathi, sic dicta ἀπὸ χήμης, id est, specie ostrei, siue conchylij.

MYSTRUM, μύστρον, mensura Græca, capit guttas 200 aqua vel vino plenum, id est, scrupula decem: oleo plenum novem: melle quindecim. Est enim cyathi pars quarta.

CONCHA, κόγχη, semicyathus est, continens in se mystra duo: pendit guttas 400, id est, drachmas sex, cum duobus scrupulis. Oleo plenum scrupula 18: melle 30.

CONGIUS, Græcè χοεὺς, χοῦς, latinè Chus, à χέειν, id est, fundere. Dicitur & congiarium, & fidelia congialis, id est, congij capax. Duplex est: Romanus & Atticus. Romanus, cujus altitudo pes Romanus. Capit guttas 57600, scrupula

2880.

2880, drachmas 960, uncias 120, libras decem. Estq́ amphoræ octaua pars: urnæ quarta. Nobis suut tres mensuræ cum dodrante. Hinc bicongius, tricongius, duorum, trium congiorum. Apud Mediam Alexander M. bibit duos congios vini, & extinctus paulo post est. Tricongius appellatus Nouellius Torquatus à tribus congijs epotis uno impetu, spectante miraculi gratia Tiberio principe. Est & congiarium imperatorū munus, quo populus, sicut donatiuo miles donabatur (ut ait Seneca). Sic forsan dictum, quod congius vini vel olei viritim principio daretur: ac crescente ambitione & fastu, retento congiarij solum nomine, ad magnam summam excrevit. Suetonius de Augusto, congiaria, inquit, populo frequenter dedit: sed diversa ferè summa: modo quadragenos (quot & Nero postea dedit) modo tricenos (ut & Caligula postea) nonnunquam ducenos, quinquagenosq́ nummos (quot nullus unquam) ac ne minores quidem pueros præterijt, quamvis non nisi ab undecimo ætatis anno accipere consuessent. Frumentum quoq; in annonæ difficultatibus sæpe levissimo: interdum nullo precio viritim admensus

est. Atticum congium à Romano differre & continere libras octo cum una quarta, quidam asserunt.

AMPHOREVS, ἀμφορεὺς, *sic dictus quasi ansatus. Vas enim erat utrinque ansas habens, quibus capi & portari facile posset. In specie vero certam mensuram significat, quæ metretæ dimidium continet, id est, vino vel aqua plena libras 50: oleo 45: melle 75. Hujus meminit Herodotus lib. 1. ubi ait. Lacedæmones cratera æneum Cræso dono mittunt capacitate trecentos amphoreos continentem, hoc est, libras 15000.*

METRETA, ὁ μετρητὴς, *metretes, amphora Attica, sic dicta à verbo* μετρέω, *id est, metior. Germ.* ein maß. *Communiter autem & proprie significat. Communiter Cleopatræ, quæ eodem nomine metretæ diversas mẽsuras appellat. Fuit enim mensura frequentior aliis ac magis in usu. Sic promiscuè interdum vas, interdum certam mensuram significat tum Catoni tum Columellæ. Appellatur & cadus, Græcè* κάδος, *quasi* χάδος, ἀπὸ τοῦ χάδειν, *id est, capiendo, quod in se contineat, vel quod ansis capiatur. Germanis* ein kuffe & faß. *Latinis interdum & parvum*

uum vasculum seu cyathum significat: ut in illo Martialis lib. 9.

Quadrantem duplica de seniore cado.

Itali Catino appellant, quasi Cadino: cui respondet & alia vox Græca hydria: quo vase veteres non tantum aquam (à qua nomen accepit) hauserunt: sed etiam farinam & similia asservarunt: ut cum Elias Sareptanæ viduæ dicit. Hydria farinæ non deficiet. Appellatur ab Hesychio & κεράμιον, & ςαμνίον, Ceramium & Stamnium, hoc est, seria seu amphora vini vel aquæ. Proprie metreta certam mensuram significat, quæ duos amphoreos continet. Pendit autem vino aut aqua plena libras 100: oleo lib. 90. melle 150: quarum singulæ uncias duodecim faciunt: nobis mensuras (quas Cantharos vocant) 37½. Christus igitur nuptias in Cana Galilææ magnifico munere, eoq́ue, quod utrique conjugum per annum sufficere potuit, ornavit, cum vinum ex aqua fecit. Nam sex hydriæ continebant 15 amphoras, cum singulæ binas vel ternas metretas capere potuerint. Donum igitur fuit mensurarũ nostrarum usualium 562½: ex quibus una ferè cum semisse uni diei congruit: & sic singulis

paſtibus uni conjugum quadrans cum ſemiſſe ceſsit: quo frugi quilibet pro ſingulis vicibus contentus eſſe poteſt. Exemplum certe vel potius præceptum vitæ frugalis in uſu vini: & arti Medicæ, ſiue rationi tuendæ ſanitatis conſentaneum.

OVVM, genus minutæ menſuræ Hebræis fuit, ſic dictæ à forma oui. Non itaq; quodlibet cujuscunq; regionis ovum intelligi debet: ſed tale, ut unum ex illis aquam capiat uncias tres cum una tertia pendentem, ſiue duos cyathos Romanos.

LOGVS eſt menſura olei ſex oua continens, id eſt, duodecim cyathos, ſiue ſcrupula 480, ſive libram $1\frac{2}{3}$. Eſt autem ſextarius Romanus, & ſic D. Hieronymus vertit Leuit. 14.

BATHVS, batus, בת, *re & nomine Hebræorum menſura, ſic dictus à concauitate ſeu profunditate. Germanis* ein tonne. *Hujus fit mentio Lucæ 16, ubi dicitur. Centum batos olei. Eſt autem duplex: major & minor. Major fuit ſemicubitus, vel palmus cubitus: par Ephæ menſi æ aridorum: continens unam metretam cum miſſe. Minor fuit majoris ſubſeſquialter, capiens*

capiens unam metretam: unde in libro Regum æneum mare templi Salomonici bis mille batos capere dicitur (scilicet majores) at in libro paralipomenon ter mille batos (scilicet minores) quos vulgatæ editionis autor metretas vertit. Capit igitur major batus libras 150: minor 100: qui duo termini si ad minores revocentur, dabunt 3 & 2, inter quos similiter ratio est sesquialtera. Major nobis sunt mensuræ usuales $56\frac{1}{4}$: minor $37\frac{1}{2}$.

BAKBVK Hebræis est genus vasis, quod D. Hieronymus laguncul am transtulit, dictum vel à Bokak, id est, vacuavit, à vacuitate: vel à sono, quem edit, cum in aquam demergitur, & ex eo bibitur, ein kutroff/oder engster / habens os angustum. Græcis est œnophorum, latinis vas vinarium. Incertam igitur mensuram denotat. Hinc Italicum Bokal & latinum poculum oritur. Saxones bokeligen vocant.

MENSVRAE ARIDORVM.

CHOENIX, χοίνιξ, ἡμεροτροφὶς, frequens Græcorum mensura, qua fruges metiebantur. Est autem duplex Civica, & Georgica. Civica

capit libras duas cum una quarta. Georgica est sesquialtera ad Atticam, capiens libras tres cum tribus octavis. Et hæc Luc. 12. σιτομέτριον dicitur. Fuit enim dimensum (sive, ut alij scribunt, demensum) diurnum, quod seruis Græcis distribuebatur: sic dictum vel à mense, vel à mensura. Serui enim, qui solo pane, cibo solido, vescebantur, quaternos modios frumenti accipiebant in mensem: quibus addebatur olei sextarius: vini sextarij 42, & salis annuus modius, ut refert Cato. Aristophanis interpres in Vespis ait ex Chœnice panes magnos quatuor fieri: parvos vero octo. Panes igitur, quos magnos vocat, (nos paruos vocare solemus) fuerunt pene librarij: parui (quos pro minimis nos habemus) semilibrarij, qui diurnum servis cibum præstabant. Cicero in octaua oratione in Verrem ait modium tritici in Sicilia lege æstimatum fuisse sestertijs ternis aut quaternis, si erat imperatum frumentum. Iam si quatuor sestertij, id est, triginta nummuli sunt precium unius modij, & modius facit libras 20, chœnix erit frumentum ferè pro quinq; nummulis nostratibus: & sic panis servuli pro singulis pastibus duorum

nummu-

nummulorum cum semisse: olei drachmæ tres: vini unciæ quatuordecim, salis scrupuli 12. Nam sextarius facit 20 uncias: 42 sextarij 840 uncias, modius salis libras 30, & mensis pro 30 diebus supputatur. Insigne exemplum diligentiæ, & frugalitatis in Oeconomia. Eidem œconomicæ supputationi convenit ea, quam Philippus Ioh. 6. facit, cum quæreretur ab eo, quantum panis ad cibandos homines quinquies mille sufficiat. Respondit enim. Ducentorum denariorum panes non sufficiunt ei, ut unusquisq; modicum accipiat. Pro uno igitur prandiolo supputavit panem duorum ferè nummulorum. Hinc ἡμιχοίνικον, *dimidia chœnix:* διχοίνικον, τριχοίνικον, πενταχοίνικον, *duorum, trium, quinq; chœnicum.*

SEMODIVS, sic dictus, quia semis est modius. Se valet dimidium, ut & in selibra. Pendit libras 13, & uncias quatuor.

MODIVS, μόδιος *Suidæ, Romanorum propria mensura, sic dictus quasi modus, quo frumẽta dispensantur. Latina hac voce etiam Evangelistæ usi sunt. Pendit vino aut aqua repletus, uncias 320, id est, libras 26, & uncias octo. Pli-*

nius levissimi frumenti modio tribuit libras viginti. Varro lib. 1. Hordei, inquit, pavonibus singulis, modij singuli. Et idem, Seruntur, inquit, fabæ modij in jugero quatuor: tritici quinque, hordei sex: farris decem: sed nonnullis locis paulo amplius aut minus. D. Hieronymus in vita Hilarionis, Marsitam quendam refert, quindecim frumenti modios diu longeque portasse, & hinc habuisse palmam fortitudinis suæ, si asinos vinceret. Asinus enim tantum pondus, quod trecentas libras pendit ad minimum, id est, nostrum Scaphum vix aut nulla ratione diu longeque portaverit.

A modio est modialis, sesquimodius, & trimodium.

Modialis aula & calix Plauto, modij capax.

Sesquimodius est modius & semis, capiens uncias 480, id est, libras 40, par modio sacro, quem satum sacra scriptura vocat.

Trimodium sunt tres modij. Meminit illius Plinius lib. 33. c. 1. Trimodia annulorum Carthaginem ab Hannibale missa.

MEDIMNVM & MEDIMNVS, μέδιμνος, Græco-

Græcorum, ut nomen indicat, mensura: sic dictus quasi mimnus per epenthesin à mina, & hinc Galli mimnam vocant. Capit Chœnicas civiles 48, id est, libras centum & octo. Diodorus lib. 3. c. 12. Cameli onus vocat decem medimnos: & homines quinq; in lecto jacentes. Id quod quasi miraculo quibusdam Camelis Arabiæ tribuit. Epiphanius de communi Cameli onere loquens ait. Triginta modij in collem ac acervum collecti faciunt onus Cameli, id est, quinq; medimni. ferè cum semisse.

EPHA & Ephi, οἴφι ἢ ὕφι, *frequens adeo mensura frugum apud Hebræos, ut reliquarum quasi mensura fuisse videatur: unde & pro Ephi septuaginta interpretes* μέτρον, *hoc est, mensuram scribunt. Hebraicum* אֵיפָה *ab* אִפָה *sive* אפה *descendit, quod pinsere & coquere significat. Est enim idem, quod batus minor, & ferè medimnus Atticus, id est, quarta ferè pars nostri Scaphi, atq; ita tantum, quantum una vice Clibano capi & concoqui potest. Genesis c. 10. tria sata vocantur, quæ Abraham tres viros sanctam trinitatem designantes, hospitio excipiens, commisceri jubet, & fieri placentas subcinericias.*

CABVS

CABVS siue Caphus, capit libras sex cum duabus tertijs, id est, uncias 80. Hinc quarta pars Cabi sextarium denotat 4. Reg. 6. ubi dicitur. Quarta pars Cabi stercoris columbarum, id est, sextarius uendebatur quinq; argenteis, id est, coronato. Sic dictus à קב, id est, concauitate. Hinc nostrum zuber & kübel.

GOMER, OMER, sic dictus à tumulo, quod tumulum seu cumulum faciat, quem חמר Hebræi vocant: vel ab עמר, meruit, quasi merenda, id est, quantum quotidie homini operario sufficit ad alimoniam familiæ. Fuit autem decima pars Ephæ, ut habetur Exodi 16, unde Iosepho assaron, & Leuitici 24 ghesronim, id est, decima dicitur. Pendit decem libras. Hujus fit mentio Exodi 16, ubi singuli colligunt Gomor mannæ. Fuit igitur demensum quotidianum, ut Chœnix seruis Græcis, sed liberalius. Quicunq; amplius quàm Gomer collegerat, amplius sibi laboris paraverat, fructus nihil.

HIN, Græcis χοῦς, Choë seu congio Romano duplo major, pendit libras viginti: par modio. Hæc mensura præ alijs in usu fuit, cum & Hebræas & externas in æquales partes dividere po-

re potuerit. Eſt enim Gomeri duplum, urnæ dimidium, metretæ & minoris bati quinta: Romani culei octogeſima: Hebræi cori quadragecupla quintupla. Meminit ejus Ezechiel cap. 4. Aquam in menſura bibes, ſextam partem Hin, id eſt, libras tres cum una tertia, ſiue duos ſextarios.

SEAH, סְאָה, latinè ſatum, capit libras triginta tres, & quatuor uncias. Tria enim ſata Epham faciunt. D. Hieronymus modium vocat: alij amphoram, non quod vel modio, vel amphoræ æquale ſit capacitate, ſed quod eſſet commune menſuræ nomen, & κατὰ μεταφορὰν. Vt enim amphora in tres modios dividitur: ita ephi in tria ſata.

LETECH, latinè lecythus, proprie & figuratè ſignificat. Proprie eſt ampulla olei. Figuratè certa menſura eſt, continens ἡμίκορον, id eſt, dimidium corũ, ſeu libras 450, ut quidam autores exiſtimant: alij dimidium Omer eſſe judicant, id eſt, libras quinq;. Extat ſemel Oſeæ capite tertio.

MENSVRAE COMMVNES LIquidorum & aridorum.

COCHLE-

COCHLEAR sic dictum à similitudine testæ ipsius Cochleæ, quæ concavitatem aliquam habet. Græcè κοχλιάριον: latinis etiam Cochleare & cochlearium. Appellatur & lingua & ligula à figura, quod oblongæ & concauæ linguæ formam referat. Est autem triplex, parvum, mediocre & magnum. Parvum est pars quarta & vigesima cyathi, id est, scrupulus unus cum besse. Mediocre est, quo in mensis juscula & liquidiores cibos edimus: estq́ pars cyathi decima, ut nonnulli tradunt. Pendit scrupula quatuor. Magnum est, quo pharmacopolæ & coqui ollas & cacabos despumant & commovent: estq́ cyathi pars quarta. Pendit scrupula decem, id est, drachmas tres, scrupulum unum.

Cyathus, Græcis κύαθος, ἀπὸ τοῦ χύειν, id est, à fundendo vinum denominatus. Ea enim mensura antiqui pocula metiebantur, relicto in sacrificijs simpulo, teste Varrone. Hinc cyathissare, pocula miscere apud Plautum. Quod Cæsari exprobravit C. Memmius, eum ad cyathum & vinum Nicomedi stetisse obijciens: quod munus hodie apud principes non pro dedecore, sed pro summo honore habetur. Est autem pars duodecima,

cima, seu uncia sextarij, continens quatuor cochlearia magna: oleo plenus pendet unam unciam cum semisse, id est, scrupula 36: aqua & vino plenus unam unciam cum besse, id est, scrupula 40: melle plenus duas uncias cum semisse, id est, scrupula 60: tritico unam unciam cum una quarta, seu drachmas decem, id est, scrupula triginta: hordeo unam unciam, id est, scrupula 24. Quod vero cyathus tres uncias sive pollices cubicos continere dicitur, id de inani vasis parallelepipedi intelligi debet. Inane enim ejus vasis est trium pollicum: longitudo binum pollicum: latitudo sesquipollicis: profunditas pollex.

OXYBAPHVM, ὀξύβαφον, latinè acetabulum, sic dictum ab aceto: eò quod ejus quantitatis esse soleant vascula, quibus acetum, & similia ciborum condimenta apponi in mensis solent. Capit autem sesquicyathum. Pendit aqua vel vino plenum scrupula sexaginta, id est, viginti drachmas: seu uncias duas cum semisse: frumento plenum drachmas quindecim. Plinius lib. 24. c. ult. Diocles, inquit, difficile parientibus semen ejus (fœnugræci) dedit acetabuli mensura tritum.

QVAR.

QVARTARIVS sic dictus quod sit quarta pars sextarij. Constat tribus cyathis, seu duobus oxybaphis, pendit aqua vel vino plenus scrupula 120, id est, drachmas 40, seu uncias quinq. Græcis τέταρτον καὶ ἡμικοτύλιον.

HEMINA sic dicta à medietate, quæ ἥμισυ dicitur, quasi semisextarius, eò quod dimidium sextarium contineat. Appellatur & Cotyla (unde latinum scutula, vel scutella, item scatula, & Germanicum schüssel) *& tryblium. Græcè τρύβλιον, & ἡμιξέστιον. Romani libram vocabant, eò quod illam veluti communem mensuram in duodecim quoq; uncias dividebant. Constat duobus quartarijs, seu sex cyathis. Pendit aqua vel vino plena, scrupula 240, id est, drachmas octoginta, seu uncias decem: oleo plena uncias nouem: melle plena uncias quindecim: tritico septem cum semisse.*

SEXTARIVS Romanus, Græcè ξέστης, sic dictus, quod sit congij pars sexta, id est, sex unum congium faciunt. Continet heminas duas, (unde Horatio bilibre cornu dicitur) cyathos duodecim (unde as cyathorum & librarius dicitur) oleo plenus octodecim: aqua & vino 20: melle 30

uncias

uncias: plenus tritico uncias quindecim: plenus hordeo unam libram pendit. Romanum vero Attico æqualem fuisse, vel ex eo apparet, quod cum Romano imperio ad Athenienses in usum præsertim Medicorum transiverit.

Rursus, quia sextarium in 12 cyathos dividunt, ut as & libram in uncias 12: hinc orta est nova mensurarum & poculorum nomenclatura, hoc modo.

Sextarius est poculum continens 12 cyathos, siue 20 uncias.

Deunx est poculum continens 11 cyathos, siue uncias $18\frac{1}{3}$.

Dextans est poculum capiens 10 cyathos, siue uncias $16\frac{2}{3}$.

Dodrans est poculum capiens 9 cyathos, siue uncias 15. Musarum poculum, τῶν θ μȣσῶν ποτήριον, *olim ebriorum judicatum, quod hodie sobriorum esset. Capit dimidiam ferè nostram mensuram, quam* scitel *vocamus. Meminit ejus Horatius lib. 3. Carm. oda 19. Ternos ter cyathos attonitus petet vates.*

Bes sunt cyathi octo, siue unciæ $13\frac{1}{3}$: *Meminit ejus Martialis, cum ait.*

Quincunces, & sex cyathos, bessemq; bibamus. Facit dimidium pintæ.

Septunx sunt septem cyathi, siue unciæ 11 $\frac{2}{3}$. Meminit ejus poëta, ibi.

Næuia sex cyathis, septem Iustina bibatur. Nam tot cyathos bibebant in conviviis, quot literæ in amasiæ nomine erant.

SEMIS sunt sex cyathi, siue 10 unciæ. Sextarij dimidium. Benedictinorum poculum, heminæ & cotylæ par.

Quincunx sunt quinq; cyathi, seu unciæ 8 $\frac{1}{3}$. Nostram igitur quartulam ferè facit.

Triens sunt quatuor cyathi, seu unciæ 6 $\frac{2}{3}$. Meminit ejus Martialis, ibi.

Servabor dominæ Ruffe triente tuo.

Ejus magnitudinem ferè habent pocula nostræ ætatis, quæ magele *vocantur, facta in quotidianum usum, id est, trientalia.*

Quadrans, sunt tres cyathi, seu unciæ quinq;. Gratiarum poculum, Gratijs & sobrietati dicatum. Viduarum ac virginum poculum nostra ætate.. Hujus meminit Martialis, cum ait. Quadrantem duplices de meliore cado.

Sextans sunt duo cyathi, siue unciæ tres cum $\frac{2}{3}$.

Augu-

Augustus Cæsar, ait Suetonius, quoties se largißimè inuitauit, senos sextantes non excessit, id est, sextarium, siue 12 cyathos: aut si excessisset, reÿciebat. Videtur igitur habuisse pocula, quæ sextantem, id est, duos cyathos caperent.

Vncia sextarÿ est uncia una cum semisse.

VRNA sic dicta ab urinando, quod aquam ingestam colligat submergendo & emergendo. Interdum non mensuram: sed vas rusticum significat: ut cum Cato urnam quinquagenariam requirit, cap. 12. Hinc urnarium, locus ubi urnæ retinebantur. Erat autem urna alia olearia, alia vinaria. Vrna enim, quæ semel oleo inficiebatur, semper ad oleum duntaxat mensurandū asseruabatur. Eadem fuit uini ratio. Habet congios quatuor: sextarios 24, amphoræ dimidium: vino aut aqua aut aceto plena pondo librarum 40 fuit. Nobis mensuræ quindecim.

AMPHORA, Theocrito ἀμφῶες, latinis quadrantal, à figura, quam habuit; cujus ima superficies fuit pes quadratus, & singula latera singulis constabant quadratis, imæ superficiei æqualibus: instar cubi. Quod corpus est unum ex ÿs, quæ regularia vocant, maximè regulare, utpote

quo omnes omnium corporum dimensiones computantur. Veteres eam Ioui in Capitolio, ne violare liceret, consecrauerunt. Mos enim fuit antiquorum, ut & hodie quoq; in plerisq; locis, mensuras in loco publico ex marmore vel ære confectas conseruari & custodiri: ut inde quoties res exigeret, & de legitima mensura dubitaretur, veritas peti posset. Hinc & amphora Capitolina dicitur. Capit aqua vel vino plena libras 80, frumento plena libras sexaginta. Quod vero amphora, figura cubica, 1728 uncias cubicas continere supputatur: id de inani vasis cubici intelligi debet. Inane enim vasis tot unciarum est: longitudo, latitudo, profunditas, quæ inter se exæquantur, sunt unius pedis in 12 uncias divisi, quæ cubicè inter se multiplicata 1728 uncias constituunt. Vncia igitur illa cubica facit in liquidis unam unciam cum quatuor quintis: in aridis duas uncias cum duabus quintis. Nobis amphora Romana sunt mensuræ triginta. Memoratur Maximinus sæpe die vini capitolinam amphoram bibisse, & comedisse 40 libras carnis.

CVLEVS, maxima Romanorum mensura, sic

sic dictus à Græca uoce κολεὸς, quæ utrem vel vaginam significat. Sumitur pro vase & mensura. Vas erat utri formæ simile: sed majus: factum ex corio, quo vina & continebantur, & transferebantur. Fuisse magnum vel inde apparet, quod vetus lex præcipiebat parricidam culeo insui, & in mare projici cum cane & gallo gallinaceo, & vipera & simia, similimis huic monstro feris: ut cælum superstiti: terra mortuo auferretur: & omni alimentorum usu vivus carere inciperet. Neq; enim aliter insui, aut in mari, ut non submergeretur, stare potuisset, si ex alia, quam ex corij materia, culeus fuisset. Capit autem amphoras viginti: vino puro vel aqua pura plenus pendet libras mille sexcentas. Singulis vehiculis singulo boū jugo trahi potuisse olim scripsit Cato. Plinius lib. 7. c. 20. A. Iulius Valens, inquit, meruit in prætorio D. Augusti centurio, vehicula culeis onusta, donec exinanirentur, sustinere solitus. Robur fuit gigantis. Nobis sunt mensuræ usuales sexcentæ, quæ fudræ Eslingensis tertiam partem constituunt.

A culeus oritur culearis. Vitruuius dolia culearia dixit: & Cato labrum culeare, quod unius

essent culei. Sesquiculearia dolia dixit Columella, quæ culeum cum dimidio capiunt.

KARA est sesquicyathus, Græcis ὀξύβαφον, *scrupula 60, siue unciæ duæ cum semisse.*

CORVS, κόρος, כֹּר, *sic dictus à figura foveæ, quod sit vas excisum & capax. Hinc Germanicum* ein kar. *Capit triginta sata, seu libras mille. Continet enim medimnos Atticos decem. Hujus fit mentio 3. Reg. 4. Salomon præbebat Hiramo viginti millia coros tritici in cibum domui ejus: & viginti coros purißimi olei. Et alibi. Salomon singulis diebus triginta coros similæ & sexaginta coros farinæ insumsit.*

NOMINA GERMANICA LIquidorum.

NOSTRIS hodie nomina notiora sunt hæc. Achtele / quârtle / schopp / seitel / nössel / maß / viertel / pint / stübich / eymer / ohm / legel / fuder / *quorum pondera libra civili æstimantur. Sunt autem nostræ mensuræ ferè capaciores quàm veteres Romanæ: ut & pondera graviora quàm vetera.*

Achtele / *latinè octula, est octava pars cantħari domestici, capiens guttulas 1920, siue un-*

cias quatuor. *Est igitur quartarius latinus minus una uncia.*

Quärtle/ *latinè quartula, est nobis quarta mensuræ domesticæ pars seu quadrans, capiens guttulas 3840, siue uncias octo. Est igitur major heminæ, uncijs duabus. Alij* ein echtmaß & mäßlin *vocant, Græcè* ὀκταμοιρον. *Proximè ad quartarium Romanum accedit.*

Schopp *est Gallica cheopina, sic dicta à Græco* χέε πίνειν, *id est, fundendo vinum, quod in eo tantum funditur vel hauritur vini, quantum homo sitibundus uno haustu absumere possit. Est autem duplex, minor & major. Minor est VVirtembergensis, continens decem uncias, par heminæ. Major est Parisiensis, capiens cyathos octo, id est, uncias tredecim, duas drachmas & duos scrupulos. Est igitur bes sextarij, duodecim cyathos, id est, viginti uncias continentis. Et sic sesquicheopina Parisiensis sextarium Romanum efficit.*

Seitel *est semimensura, id est, semißis cantharii; sic dictus à latino sextarius, quasi sester, r in l mutato. Domesticus capit apud nos uncias 16, guttulas 7680, vulgo* ein halbe maß. *Est*

igitur libra civilis, minor sextario Romano quatuor uncijs: alius modus alijs sextarijs aliorum locorum secundum epilogismum Arithmeticũ conuenit.

Nössel, *nossella, est Kemnicij sextario Romano par, VVitebergæ, ut & Lipsiæ duas libras seu 24 uncias cõtinet. Vox ex Germanico* meßlin *corrupta esse videtur. Dimidium* Nössel *est hemina Kemnicij, ut refert G. Agricola.*

Maß/ *latinè mensura, sic dicta quod sit mensurarum mensura. Vocatur &* Kant *&* Kandel/ *latinè cantharus: Græcè* οἰνοφόρον, *quod comportando vino aptum sit, cujus meminit Iuuenalis, cum inquit. Tandem illa venit rubicunda, totum œnophorum sitiens. Galli brochum vocant à Græco* βρέχω, *id est, fundo. Est enim vas fundendo & transuasando vino accommodatũ: idq; multiplex pro varietate locorum. Augustana mensura duplex est: una forensis,* visier maß/ *&* pfaltzmaß/ *quæ pendit uncias 37½, id est, libras medicas tres cum uncia una & semisse: altera domestica,* schenck maß / *quæ pendit uncias 32, siue libras duas ciuiles: Medicas verò duas cum besse. Minor itaq; forensi & palatina un-*

tina uncijs quinq; cum semisse. Naumburgensis est trium librarum Medicarum cum sex uncijs. Friburgensis trium librarum Medicarum cum quatuor uncijs.

Viertel/quartarius, non est quarta pars alicujus majoris mensuræ, ut latini vocarunt, sed vas, quod quaternas semimensuras, id est, duos cantharos capit: Francofurti quatuor cantharos: in Gallia quaternas Cheopinas: ut refert Budæus. Quidam quartale vocant.

PINTA, sic dicta ἀπὸ τῆς πιτυνας, id est, vase vinario: unde per syncopē pitna: deinde transpositione pinta: duas Parisienses cheopinas facit, id est, sexdecim cyathos, siue uncias 27, cum una duodecima. Medicis sunt quatuor libræ. Alijs simpliciter duo canthari.

Stübich sunt duæ pintæ, id est, quatuor mensuræ cujuscunq; generis. Congio igitur veterum ferè æquatur. Naumburgi sunt 14 libræ, quarum singulæ duodecim uncias faciunt. Hinc tria stübich urnam: & sex amphoram ferè capiunt. Vox ad nomen stipis alludit.

Eymer/alijs Emper/latinè amphora, à qua voce Germanicū nomē fluxit, mensura est plura

pauciorave œnophora continens. Nostra amphora capit domesticas mensuras 75: forenses seu palatinas sexaginta quatuor. Vlmensis capit mensuras 120: ideoq́ dupla nostratis. Eslingensis vero quadrupla, capiens mensuras 240. Quadrans amphoræ sunt mensuræ 16.

Ohma/ein Ahm / cadum quidam vocant, capit nostras mensuras usuales centum. Francofurti & in vicinis locis octoginta. Vox alludit ad Hebraicum Omer, à quo tamen in quantitate multum discrepat.

Legel/lagena, λάγηνος, proprie est vas ventre laxo à tereti collo iterum sensim ad imum gracilescens. Athenæus ait mensuræ nomen esse apud Græcos, ut chum & cotylam, duodecimq́ cotulas Atticas capere, quæ uncias 120 faciunt, id est, nostras mensuras tres cum dodrante, seu quartarium unum. Nobis lagena duplex est, minor & major. Minor est varia, nunc quatuor, nunc plurium mensurarum. Major est quæ amphoram vel æquat vel excedit. Appellatur & ein lage / quæ vox ex Hebræo Nebel deducta videtur, significante vanitatem seu vacuitatem.

Saum

Saum est mensura usitata apud Heluetios, apud quos 32 canthari faciunt amphoram: quatuor amphoræ saumum: $7\frac{1}{2}$ saumi, siue 30 amphoræ fudram. A satum deductum videtur.

Fuder/latine plaustrum, à quo & Germanicum nomen fudræ corruptum est. Augustæ nomen est incertæ mensuræ, eò quod plaustrum, nunc pluribus, nunc paucioribus doliis oneratur. Eslingæ sex vasa fudram constituunt: ex quibus quodlibet amphoras circiter quatuor continet: & sic integra fudra amphoras 24. Tantũ enim onus plaustro impositum quinq; aut sex equi trahere possunt. Capit mensuras nostras usuales 1800, triplum Romani culei.

NOMINA EXTERNA liquidorum.

Externa sunt Romana & Hispanica, descripta à Luca Pæto & Ioh. VVillapando Hispano: quæ referre operæ pretium visum est propter frequentem illorũ in historiis recentibus usum. Sunt autem mensuræ Romanæ Hispanicis æquales, nomine tantum diversæ. Romanæ sunt

Foliet-

Folietta, boçalis, congitella, barrilis, botte. Hispanicæ sunt, quartillo, azumbre, arroba.

Folietta, minima Romæ mensura, capit sexdecim Romanas uncias: ideoq; præcisè par nostro sextario, quem Seitel vocamus.

Hispanis dicitur quartillo, sic appellata, quod quarta sit pars alterius, quam vocant Azumbre. Sextarium Toletanum etiam vocant, quod non multum distet à Romano sextario. Minor autem sextario Romano uncijs quatuor. Quinq; foliettæ unum Cabum faciunt.

Bocalis, aliàs petittus, ex foliettis quatuor constat, pendens vino puro, & pura aqua plenus, uncias quatuor & sexaginta: id est, nostras mensuras duas. Hujus dimidium vocatur medius siue dimidius petittus, pendens vino puro aut aqua pura plenus uncias triginta duas, id est, unam nostram mensuram. Bocali æqualis est Hispanorum mensura, quam vocant azumbre.

CONGIVS, bocalibus octo completur, olim inscriptus in Capitolio: nunc in nullo usu. Huic æqualis est mensura, quæ alicubi in Hispania vocatur arroba, alibi cantara. Dimidium congij siue arrobæ, vocatur congitella, quæ est semicongius

gius, constans ex petittis quatuor. Pendet uncias ducentas quinquaginta sex, id est, octo nostras mensuras.

Barrilis, constat ex congijs quatuor: vino aut aqua pura plenus pendet libras 170 & libræ bessem, id est, nostras mensuras 64. & sic amphorã.

Botte, latinè dolium, maxima omnium mensurarum, constat ex barrilibus octo, pendet aqua & vino plena libras mille trecentas sexaginta quinq;, uncias quatuor: id est, nostras mensuras 512. Paulo igitur minor culeo.

NOMINA GERMANICA
Aridorum.

Nomina nobis notiora sunt hæc. Simmer/ Metz/ Står/ Malter / Himpte/ Scheffel/ Schaff/ mut/ tonne.

Simmer est mensura, continens 26 libras. Sic dicta ex Hebræo Gomer, modio Romano minor octo uncijs. Vocatur & Såster. Hujus dimidium ueteribus est hemiectum, ein halb simmer/ ferè par semodio.

Metz est mensura, sic dicta ex voce latina modius, o in e mutato, & sublato i & u. Quantitas

titas illius est varia, ut mox dicetur.

Stär est simmer cum semisse, capiens libras 39, sive 40. Aequalis igitur sesquimodio.

Malter est mensura capiens libras 108. Sic dicta à Maltz / quod frumentum ad coquendam cerevisiam lento igne præparatum significat. Modios igitur Romanos quatuor continet. Quidam eorum per malter convertunt, sed magnitudo unius multum à quantitate alterius discrepat. Malter in marchiomatu Badensi, paulo minor est Scapho nostro: qui in octo simmeros, seu sesteros nostris modijs paulo minores diuiditur. In Heluetia vero malter diuiditur in 4 mutos: mutus in 4 quadrantes.

Himpte Saxonibus est duplex, magnus & paruus. Magnus est idem quod medimnus Atticus, à quo etiam nomen Germanicũ himpte ut & Gallicum mimna fluxit. Par igitur mensuræ, quæ alibi malter dicitur. Parvus himpte capit libras sexaginta.

Scheffel / diminutivum à schaff / est mensura scapho minor, maxima vero in Misnia. Kemnicij, ut ait Agricola, capit modios Romanos ferme ad quindecim. Modium autem ille definit

sedecim

sedecim sextarijs : & sextarium uncijs $17\frac{3}{8}$. *Capiet igitur sextarios 240, uncias 4170, libras civiles* $260\frac{5}{8}$.

Schaff/*scaphus, sic dictus ex Hebraico cabus, quod est vas cavum capiens siue arida, siue liquida : unde &* kübel *idem valens, nomen habet: mensura est Augustæ & in vicinis locis maxima : estq; alia leuioris, alia grauioris frumenti. Levius frumentum est avena & hordeũ. Grauius far & triticum. Scaphus grauioris frumenti continet modios octo, 32 quadrantes, 128 quartulas: 256 semiquartulas, 512 heminas. Capit autem scaphus tritici libras civiles circiter 336, medicas 448 : & sic partes ejus pro rata portione.*

Modius tritici, ein metz/ *est octaua pars scaphi, capiens libras civiles 42, medicas 56. Modio igitur Romano major. Continet heminas 64, & semiquartulas 32.*

Quadrans tritici, ein vierling/ *est quarta pars modij, pendens libras ciuiles decem cum semisse : medicas 14.*

Quartula tritici, ein viertel/ *siue* vierding/ *est quarta pars quadrantis, capiens libras civiles duas cum quinq; octauis : medicas tres cum semisse.*

Semi-

Semiquartula, ein halb viertel / *est dimidi[a]*
pars quartulæ, continens libram civilem unam
cum quinq; decimis sextis: medicam unam cum
tribus quartis.

Hemina, ein klein mäßlin / *est dimidia semi-*
quartula, capiens uncias decem cum semisse.
Hemina igitur Romana major, uncijs tribus.

Scaphus levioris frumenti ratione ponder[e]
dividitur in modios $8\frac{1}{2}$. *Modius igitur ave-*
næ pendet libras ciuiles 39, ferè cum semisse.
Quadrans libras $9\frac{15}{16}$. *Quartula libras* $2\frac{8}{17}$. *Se-*
miquartula lib. $1\frac{4}{17}$. *Hemina libræ* $\frac{21}{34}$, *id est*
ferè decem uncias. Diuiditur enim uterq; sca-
phus, quod ad molem attinet, in octo modios:
modius in quatuor quadrantes: quadrans in 4
quartulas: quartula in duas semiquartulas: se-
miquartula in duas heminas.

Mut / *mensura Austriaca, capit alicubi modi-*
os 42, alicubi pauciores. Hujus meminit dictum
illud aulici cujusdam. Verna pluuia unius muti
facit modium luti: autumnalis pluuia unius
modij facit unum mutum luti. Nomen videtur
fluxisse ex prima syllaba vocis modius o in u
mutato. Galli muy vocant.

Tonne

Tonne/ tonna, est mensura mellis, halecum, coronatorum. Sexaginta sex mensuræ, siue canthari nostrates mellis unam amphoram faciũt, quam ein eymer/ & ein fuhr vocant. Sesquialtera amphora unam tonnam constituit. Pendet igitur tonna mellis, nonaginta sex mensuras. Mille haleces faciunt unam tonnam halecum: duodecim vero tonnæ, onus, quod ein last vocant. Centum millia coronatorum appellatur tonna auri. Sexaginta tonnæ faciunt sexagies centena millia coronatorum, siue sexcentas myriades, siue sex milliones. Tantum ajunt esse reditum annuum in regno Turcico: & tantum effudit Alexander in funus Ephæstionis: quæ Hadrianus talentum decem millia vocat.

NOMINA EXTERNA Aridorum.

Nomina externa sunt: Persica, Aegyptia, Romana, Hispanica. Persica sunt tria, achana, artaba, capitha.

Aegyptia sunt quatuor, artaba, aporrhyma, æphi, inium.

Romana sunt quatuor, scortium, quarta, rubritella, rublum.

Hispanica sunt cahiz, faneca, celemin, mediocelemin, quartillo.

Achana capit medimnos Atticos 45. Artaba unum medimnum Atticum, & tres chanicas Atticas. Capitha duas chanicas Atticas.

Artaba Aegyptia capiebat modios quinq. Par medimno Attico.

Aporrhyma, continebat sextarios undecim. Pendet libras totidem.

Oephi, οἴφιν, mensura erat quatuor chænicū. Pendet libras novem.

Inium, ἴνιον, erat sextarius. Sextarius vero Alexandrinus olei duas libras pendit, ut tradit Epiphanius.

Scortium, mensura est pendens viginti duos sextarios, id est, totidem ferè libras. Dividitur in semiscortia duo: quartucia quatuor: semiquartucia octo.

Quarta, constat ex scortijs quinq, aut quinq & semis. Pendet igitur libras 110, id est, ferè medimnum Atticum. Sic dicta quod sit quarta pars rubli.

Rubritella constat ex scortijs decem vel undecim, pendens libras circiter ducentas, viginti.

Sic dicta per diminutionem à rublo. Est enim dimidia pars rubli.

Rublum constat ex scortijs circiter viginti, pendens libras 440, & sic à nostro Scapho non multum differens. Mensura autem tanta est, quanta à validiori equo non longo itinere portatur, quale est à pistorum & à ciuium domibus ad pistrinum vel hydromylum.

CAHIZ Hispanis certa mensura non est, sed indefinitè tanta, quanta à binis fortißimis equis non longo itinere sed per urbem hinc inde asportari solet. Continet circiter fanecas duodecim.

FANECA Betico frumento plena appendere ferè solet centum civiles libras: & sic æqualis ponderi quintal vocato. Continet autem celemines duodecim.

CELEMIN, latinè modius, capit octo libras civiles cum una tertia.

MEDIOCELEMIN pendet libras ciuiles quatuor cum una sexta. Latinè semodius.

Quartillo, quarta celeminis pars, sextarius Toletanus, capit duas libras ciuiles cum una duodecima libræ, id est, triginta duas uncias aquæ, cum triente.

PECVNIA.

Pecunia est bractea ex quocunque metallo facta, lege publica, qua res omnes mercamur. Non semper autem illius usus fuit ubique locorum. Olim enim res cum rebus sunt commutatæ: ut etiam nunc in quibusdam regionibus commutantur. Quidam judicant post diluuium Abrahami ætate homines pecuniam primùm usurpasse. Id enim videtur innuere Geneseos historia, in qua refertur Abrahamum emisse ab Ephrone agrum quadringentis siclis argenti. Alij pondera & numismata cum arte ferraria & æraria simul inuenta fuisse tradunt, quam Tubalcain primus excoluit atque perfecit, nimirum qui metalla & fundere & malleo diducere & cudere & formare primus docuerit.

Pecuniæ nomina sunt varia. Ex materia appellatur æs, argentum, aurum. Ex forma pecunia. Ex causa efficiente nummus & numisma. Ex causa finali, moneta, χρήματα, σύμβολα, κέρματα.

Aes proprie significat metallū, quod Græci χαλκὸν vocant. Figuratè vel in genere nūmos æreos: vel nūmos ex quauis materia absque ulla certi precij no-

eij nota. Hinc ære mutare eſt precio aliquid emere aut vendere. Et dictũ illud. Qui non habet in ære, luat in corpore. Aere dirutus miles, cui ſtipendium ignominiæ cauſa ademtum eſt. Et æruſcare pro pecunias undiq; colligere: & Aeſculanus Deus, quem Mammonam Syri lingua ſua vocabant. Interdum & nummum Romanum certi ponderis & valoris, qui idem cum aſſe eſt. Sic Græci χαλκοῦν vocant, & χαλκίον in genere nummum æneum, & in ſpecie nummum exiguum: unde ἄχαλκος, ære carens: ἀχαλκεῖν, pecuniæ inopia laborare: χαλκιδίζειν, chalcidiſſare, ſtudio pecuniæ congerendæ incumbere: quod Chalcidenſibus in inſula Eubæa veteres tribuerũt. χαλκίζειν, nummis ludere par impar.

Argentum ſimiliter proprie ſignificat metallum. συνεκδοχικῶς & quemuis nummum in genere: & in ſpecie nummum certi ponderis. In genere, ut argenti ſitis & fames. Et in phraſi, argentum locare fœnori. In ſpecie, ut apud Plinium lib. 33. cap. 3. Nota argenti fuere bigæ, atq; quadrigæ: & bigati, quadrigatiq; dicti. Sic ἄργυρος, & ἀργύριον apud Græcos genus & ſpeciem denotat. Hinc ἀργυρικαὶ ζημίαι, argenta-

riæ, hoc est, pecuniariæ mulctæ; ἀργυρολόγος. quæstor, colligendæ pecuniæ præfectus, quem coactorem Cicero vocat. ἀργυρογνώμων, argenti censor, qui & δοκιμαστὴς dicitur. In specie nummum certum argenteum, scilicet vel drachmam, vel siclum: sed tum ferè ponitur in genitiuo, ἀργυρίου, addito numerali, ut apud Athenæum lib. 4, & Actorum 19.

Aurum & ipsum proprie significat metallū, quod χρυσὸν Græci vocant. συνεκδοχικῶς vel quāuis pecuniam: ut apud Horatium, auro venire. Et, auri sacra fames apud Virgilium. Vel aureos nummos & tum etiam plurali numero declinatur, ut Syracides. Compara tibi aura, & quaslibet opes neq; indica uxori tuæ, licet ipsa bona sit. Sic ἄχρυσοι, apud Platonem lib. 3. de legibus sunt, quibus nummi desunt. Et χρυσώνητοι Athenæo lib. 6. serui pecunia emti. Aurum autem dictum, ut quidam putant, quod mentes à recto & bono auruncet, siue auerruncet, id est, auertat: unde opes Ouidius irritamenta malorum vocat.

PECVNIA appellatur vel à pecore, vel à pecu, quod Seruius Tullius VI rex Roman. ouium,

boumq;

boumq́; effigie æs apud Romanos primus signavit, cum ære rudi Romæ antea usi essent. Hinc peculatus, furtum publicum, cum Romani præter pecudes nihil haberent. Et peculium, sic dictũ, quasi pusilla pecunia, estq́; quicquid alicujus labore & industria partum est. Et, pecuniosus, magnam pecuniam habens. Germani pecuniam gelt nominant, non tam à gelten / hoc est, æstimatione, quam ab auro, quasi gold / quod pro pecunia generatim sumi solet. Et par gelt quasi parata ad numerandum: Ciceroni numerata: Italis denari contanti à numerando.

NVMMVS sic dictus ἀπὸ τοῦ νόμου, id est, lege, quod vel principis edicto, vel civitatis decreto valorem certo pondere habeat. In pandectis uno m: ab aliis duplici scribitur. Significat autem & in genere quamvis pecuniam: & & in specie sestertium, seu partem quartam denarii. In genere, ut nummum commovere, id est, pecuniam à mensariis accipere fœnori. Et nummulus, pro quavis exigua moneta. In specie, ut apud Plautum. Nunquam eris nummo ditior.

NVMISMA, νόμισμα, sic dictum vel à νόμος, id est, lege: vel à verbo νομίζειν, quod præter alia

est sancire, æstimare, statuere. Nam, ut inquit Aristot. Ethic. 5. τοὔνομα ἔχει νόμισμα, ὅτι οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ ἐστὶν, id est, quod non natura, sed lege factus sit. Hinc νομισματοπωλικὴ apud Platonem in Sophista est ars, qua Sophistæ suos sectatores emungunt.

MONETA dicta est à monendo, quod signi impreßione & inscriptione, nos certi autoris, temporis, ponderis, precij & aliarum rerum admoneat. A moneta est monetalis & monetarius. Aurum monetale apud Apul. Monetarius, Græcè ἀργυροκόπος. Ius Saxonum falsarum monetarum autores viuos comburit. Aegyptij olim ambarum manuum amputatione punierunt. Hinc latini hominem suæ monetæ, purum & sincerum vocant: contrà, qui suæ monetæ non est, corruptum & vitiosum. Græcis κίβδηλον, id est, adulterinum dictum.

χρήματα dicuntur ab utilitate multiplici ad rerum necessariarum comparationem. Hæc appellatio similiter ut pecuniæ tum genus tum speciem denotat. Genus, ut cum ait Aristoteles lib. 4. Nicom. χρήματα δὲ λέγομεν πάντα, ὅσων ἡ ἀξία νομίσματι μετρεῖται, hoc est, pecunias dici-

mus

nus omnia, quorumcunque precium nummo æstimatur, id est, omnia bona fortunæ. Hinc dicuntur εὐχρήματοι, *&* πολυχρήματοι, *hoc est, pecuniosi. Speciem, ut cum dicitur apud Pindarum 2 Ode Isthm.* χρήματα χρήματ' ἀνήρ. *Pecunia vir, id est, sine pecunia nihil expediri potest.*

σύμβολα *&* συμβολαὶ *sunt pecuniæ collectæ à conuiuis: latinè collatio. Ex loculis enim multorum faciliores fiunt sumtus, ut dicitur prouerbio. Latini collectam vocant stipem collatitiam ad usus varios: item tributum, Hebræis* גב, *Gab dictum, unde Germanicum* gab/ *& gabella Italicum & Gallicum.*

Κέρματα *siue* κερμάτια *sunt proprie exigui nummuli, qui sunt majoribus nummis commutandis idonei: sic dicti* ἀπὸ τοῦ κερματίζειν, *quod est nummos majores minutis nummulis commutare. Vtrunque vero à verbo* κείρω *deductum est, quod est, tondeo, incido. Hac voce utitur Euangelista, cum inquit de Iesu loquens.* καὶ τῶν κολυβιστῶν ἐξέχεε τὸ κέρμα. *Et nummulariorum æs effudit, ut Erasmus interpretatur, alij nummulos. Hinc* ἀκερμία *nummorum inopia. Eadē moneta &* κόμμα *dicitur,* παρὰ τὸ κόπτειν, *id est,*

à cudendo: unde apud Ariſtophanem homo viliſsimus, τοῦ πονηροῦ κόμματος, mali cõmatis nominatur. συνεκδοχικῶς κέρμα denarios ſignificat Euſtathio 9 Iliad. ubi talento tribuit χιλιάδες κερμάτων ἕξ, hoc eſt, ſex millia nummorum,

Pecunia triplex eſt: ærea, argentea, aurea. Rurſus ærea aut pura eſt, aut mixta cum argento. Argentea vel pura, vel mixta cum auro. Aurea ſimiliter vel pura, vel mixta cum argento.

Aerea pura primùm Romæ fuit, eaq́ multiplex: as librarius, dupondius, ſemiſsis, triens, quadrans, ſextans: & as quidem oblonga una lineola literæ I ſimili diſcernebatur, vel litera L libram indicante: dupondius ejusmodi lineis binis, ſemiſsis litera S: triens quatuor punctis: quadrans tribus: ſextans binis, quæ unciam unã notabant. Servius rex primus ſignauit æs nota pecudum. Argentea pura fuit Aryandica, quam Aryandes, Aegypti à Cambyſe præfectus, percuſsit: & hinc dictum aurum Aryandicum, id eſt, puriſsimum. Aurea pura fuit aureus Daricus, quem Darius rex Perſarum, cum cuperet tale monimentum ſui relinquere, quale nullus rex reliquiſſet, ex auro, quod quàm fieri potuit puriſsi-

purissimum excoxit, cudendum fecit. Aureis vero argentum: argenteis æs eam ob causam veteres primò videntur miscuisse, ut monetarijs ob cudendi laborem precium darent.

Romæ æs vilioris precij quondam fuit, quàm nunc est. Nam pro sexcentis & quadraginta æris partibus fuit una pars argenti repensa, si modo denarius ex puro argẽto fuit factus. Nunc æris ducentæ viginti partes una argenti parte in nobilibus emporijs emuntur: paulò autem plures in locis, è quibus metalla effodiuntur. Sic olim argentei decem, duodecim, duodecim cum semisse, tredecim aureum unum valuerunt. Nostris temporibus similiter auri & argenti precium idem non est. Nam patrum memoria una auri puri pars in præcipuis Germaniæ emporijs primò emta fuit ferè tredecim argenti partibus: deinde ferè duodecim argenti partibus: pòst vero undecim & paulo plus quam una undecima tertia. Nunc precium utriusq; iterum crevit. Onuphrius aurum Italicum, utpote Gallico & Hispanico longè impurius, decuplo tantum preciosius argento æstimat.

Rursus pecunia ratione loci multiplex est:

Romæ.

Romana, Græca, Hebraica, Germanica, externa.

Romana sunt as, dupondius, sestertius, ab asse composita, quinarius, denarius.

Assis nomen æquivocum est. Nam præter ea, quæ supra initio hujus libri diximus, significat aut minimum pecuniolæ: aut nummulum æneũ certi ponderis. Minimam pecuniolam, ut apud Cicer. pro P. Quintio. Assem se negat daturum. Et in proverbijs. Vnius assis æstimare. Non assis facere. Quod non opus est, asse carum est.

Nummulum æneum certi ponderis, ut, Das assem elephanto, quod Augustus usurpabat in eos, qui timidè aliquid agunt. As enim stipes erat, quam mendicantibus dare solebant. Qui vero assem elephanto dabat, cum pavore & formidine porrigebat. Idem autem dictus est & æs, & libra & libella, & pondo. Primum enim Romæ fuit libralis: deinde minoris ponderis, ut sextantarius, uncialis, semiuncialis: ejusdem vero semper valoris. Valuit enim denarij partem decimam, id est, nostrates nummulos tres. Plerique enim eruditi denario tres grossos Misnicos, id est, nummulos nostros 30 tribuunt: & hanc æstimationẽ deinceps in toto hoc nummario negocio se-

cio se-

io sequemur : ut inde omnes veteres summas colligamus. Hoc precio, id est, tribus nummulis fuisse emtum & venditum frumenti modium (id est, paulo plus quam quadrantem nostri modij) refert Cicero lib. 2. de officijs, ubi inquit. Asse modium frumenti pop. Rom. dedit M. Seius in annonæ caritate. Et sic intelligendum id quod Plinius refert lib. 15. c. 1. Aßibus singulis denas olei libras M. Seius L. F. ædilis Currulis pop. Rom per totum annum præstitit. Nota æris fuit ex altera parte Ianus geminus: ex altera rostrũ navis: in triente vero & quadrante rates.

Quod vero libra interdum etiam assem significat, testatur Plinius lib. 33. cap. 3. ubi sic inquit. Libra, as, unde & nunc libella dicitur. Est autem libra alia æris: alia argenti, alia auri. Libra æris tres nostros nummulos valet. Libra argenti centum denarios : unde Budæus eam centenariam vocat, ut sit mina Græca. Valet igitur nostros nummulos 3000, id est, florenos $14\frac{2}{7}$. Hujus meminit Plinius lib. 33. c. 11, ubi ait. XXXII argenti libras Africanus hæredi reliquit, id est, florenos $457\frac{1}{7}$. Libræ auri tribui solent tantum auri drachmæ 96, cujus valor est

vari-

varius pro gradu perfectionis. Medium valoris plerique æstimant esse argenteorum uncialium, qui taleri dicuntur, 136 $\frac{1}{2}$, id est, florenorũ centi sexaginta trium cum $\frac{3}{5}$, siue 91 aureorum Hungaricorum. Hujus meminit Vopiscus in Aurelio, ubi ait. Mille libræ auri, quas promisit Heliogabalus IMP. si in conuiuio Phœnicem non dedisset, id est, nonaginta unum millia aureorum Hungaricorum. Ex quo apparet Hungaricum esse drachma leviorem, quinque granis.

Cum autem æs sive libra sive libella æris tres nummulos nostros valeat, sive 12 semiobolos, hinc sequitur, ut valor illius partium sit hic. Deunx valet nummulos 2 $\frac{3}{4}$. Dextans 2 $\frac{1}{2}$. Græcis ἡμιοβόλιον. *Dodrans 2 $\frac{1}{4}$. Bes duos nummulos. Septunx 1 $\frac{3}{4}$. Semissis unum nummulum cum semisse, Germ.* ein putschendel. *Hunc & sembellam vocarunt, quasi semissem libellæ, id est, assis. Quincunx nummulum 1 $\frac{1}{4}$. Triens unum nummulum. Quadrans unum obolum cum dimidio. Hunc & teruncium vocant, quod tres uncias, id est, tres semiobolos contineat. Vtrunque nomen pro minimo nummulo prouerbialiter usurpatur, ut Martial. lib. 2. Epigr. Et quadrans*

mihi

mihi nullus est in arca. Et Matth. 5. Non exibis inde, donec extremum quadrantem persolveris. Sic Cic. ad Att. lib. 5. Spero toto anno imperij nostri teruncium sumtus in provincia nullum fore. Martialis sportulam, hoc est, pecuniam, quam divites clientibus suis, qui eos sectabantur, quotidie dabant, dicit fuisse 100 quadrantes, id est, teruncios, qui faciunt in nostrate moneta 150 obolos, siue 75 nummulos, id est, cruciferos $21\frac{3}{7}$. *Sextans est unus obolus. Sescuncia est sesquisemiobolus, id est, unus semiobolus cum dimidio. Hunc & λεπτὸν, id est, minutum vocant, quod quadrantis dimidium est. Vncia est unus semiobolus. Hinc unciatim apud Terent. Phormione. Quod ille unciatim vix de demenso suo suum defraudans genium comparsit miser: id illa universum abripuit.*

PONDO similiter triplex est, aliud æris, aliud argenti, aliud auri. Pondo æris assem significat: unde dipondius & dupondius seu dupondium, precium seu pecuniola duorum assium: valens nostrates nummulos sex. Libra argenti, ut. Trecenta pondo argenti puteus Bebelio dictus, Hannibali in dies subministravit, Plinius lib. 33. c.

6, id

6, id est, florenos 4500. Facit in annum florenorum 1642500.

Mille auri pondo Romani pacem à Gallis redimunt. Livius lib. 5. ab urbe condita, id est, argenteis uncialibus 136500.

As cum sextante sunt tres nummuli cum dimidio, & cruciatum nostrum faciunt.

As cum triente sunt quatuor nostri nummuli.

As cum semisse sunt nummuli nostri 4½.

As cum besse, vel duo dextantes sunt quinque nostri nummuli. Græci obolum Atticum vocant.

DVPONDIVS sic dictus à duobus pondo, vel, ut ait Priscianus, duobus ponderibus: quod unũ pondus aßipondium dicebatur. Valuit duos asses, id est, sex nostros nummulos. Meminit ejus Iustinianus, qui adolescentes studiosos juris primi anni non voluit vetere tam frivolo quàm ridiculo cognomine dupondios appellari: sed Iustinianeos novo nuncupari. Nota dupondij antiquè fuit LL, quod bilibris esset. Dupondius cum triente, vel quatuor septũces, septem nummulos, id est, duos cruciatos faciunt.

SESTERTIVS duos asses cũ semisse significat, sic dictus, quasi semistertius, vel sesquitertius. Valuit nostros nummulos septem cum semisse, hoc est, dupondium cum semisse: unde notari solet sic L L S, vel HS, vel I I S, sine lineola supra posita. L L enim duas libras & S semissem denotat. Erat autem argenteus, nunquam æreus, denarij quartam partem constituens. Vocatur & nummus in specie: ut constat ex Cicerone in Verrina, ubi quinq; millia nummum & HS quinq; millia pro eodem ponit. Græci vocant τϱιημιοϐόλιον, *hoc est, sesquiobolum Atticum, sive tres semiobolos. Vnde apparet semiobolum Græcum valuisse nostros nummulos duos cum semisse. Budæus sestertiũ decẽ denariolis Turonicis Gallicis cũ semisse æstimat. Dicitur autem mille sestertij, & mille nummi, vel mille sestertium & mille nummûm, vel copulatè mille sestertium nummûm. Interdum vero in his phrasibus eclipsis usurpatur. Omittitur enim vel uox sestertij: vel nota H S, vel voces mille & millia, vel centum millia sestertium.*

Vox sestertij, ut Martialis lib. 6.

Pauca Iouem nuper cum millia forte rogarem.

Subintelligitur hic vel ſeſtertium, vel HS. Voces mille & millia, ut idem Mart.

Quadringenta tibi non ſunt, Chæreſtrate, ſurge, ſcilicet, millia.

Centum millia deſideratur poſt adverbia numeralia: ut Cicero in divinatione. Quo nomine, inquit, abs te H S millies ex lege repeto, ſcilicet centena millia ſeſtertium: quod cifris ſic notatur. 100000000.

Seſtertium vero in genere neutro non nummum, ſed mille ſeſtertiorum nummorum ſummã ſignificat: ſic dictum, quod ſicut ſeſtertius duos aſſes & ſemiſſem denotat: ita illud duas libras & ſelibram argenti valeat: unde ſeſtertium millenarium dici poteſt. Solinus magnum vocat. Faciet igitur in noſtra moneta nummos 7500: florenos 35$\frac{5}{7}$. Notari ſolet iiſdem literis, ſed quibus ſupra caput lineola addita ſit, millenarium denotans, ſic $\overline{HS}$. Meminit ejus Gellius lib. 5. c. 2. ubi ait Bucephalum, Alexandri M. equum tredecim talentis emtum eſſe, quæ æris Romani ſeſtertia CCCXII facere affirmat. Talentum enim Atticum minus hîc intelligit, quod valuit ſexaginta minas, ſeu ſex

millia denariorum Rom. seu 24000 sestertiûm. Tredecim igitur talenta faciunt sestertium 312000: & hinc unum sestertium mille sestertios, hoc modo. 312 d. 312000. q. 1. F. 1000. Sic differunt centum sestertij: centum sestertia: & centies sestertium. Centum sestertij valent nummulos nostros 750, id est, florenos tres cum quatuor septimis. Centum sestertia valent nummulos nostros 750000, id est, florenos 3571 cum tribus septimis. Centies sestertium, sunt centies centena millia sestertium, quæ valent nummulos nostros 7500000, id est, florenos 35714 cum sex septimis.

Duo asses cum besse, vel sestertius cum sextante sunt octo nostri nummuli.

AB asse composita sunt treßis, quadraßis, quinquaßis, sexaßis, septußis, octußis, nonußis, decußis, viceßis, triceßis, quadrageßis, quinquageßis, sexageßis, septuageßis, octogeßis, nonageßis, centußis.

TRESSIS valuit tres asses. Treßis Dama agaso apud Persium, homo trium aßium, hoc est, vilißimus, minimiq; precij, qui nouem nummulis emi potest. Est autem sestertius cum se-

misse: vel quatuor dodrantes.

TRES asses cum triente, vel sestertius cum dextante, vel quatuor dextantes sunt nummuli nostri decem.

Tres asses cum semisse, vel sestertius cum asse sunt nummuli nostri decem cum semisse.

Tres asses cum besse: vel sestertius cum asse & sextante vel quatuor deunces sunt undecim nummuli.

QVADRASSIS sunt quatuor asses, seu duodecim nostri nummuli. Aere quaterno modius frumenti emtus apud Martialem, cujus distichon infra habetur.

Quatuor asses cum sextante sunt nummuli $12\frac{1}{2}$.

Quatuor asses cum triente sunt nummuli 13.

Quatuor asses cum semisse sunt nummuli $13\frac{1}{2}$.

Quatuor asses cum besse sunt nummuli 14, qui nobis bacium constituunt.

Quatuor aßes cum dextante sunt nummuli $14\frac{1}{2}$.

QVINQVESSIS seu QVINARIVS sunt quinq; asses, seu nummuli quindecim: periphrasticôs

sticôs duo sestertij : Græci τριώβολον, & ἡμίδραχμον vocant. Latini etiam victoriatum : à charactere victoriæ, quem lege Clodia percussus habuit. Nostri ein halben schilling. Nota illius fuit V.

Quinq; asses cum sextante : vel duo sestertij cum sextante sunt nummuli 15½.

Quinq; asses cum triente : vel duo sestertij cum triente sunt nummuli nostri 16.

Quinq; asses cum semisse : vel duo sestertij cũ semisse sunt nummuli nostri 17½.

SEXASSIS, sunt sex asses, sive duo sestertij cum asse : siue octo dodrantes. Faciunt nummulos 18.

Sex asses cum sextante : vel duo sestertij cum asse & sextante sunt nummuli 18½.

Sex asses cum triente, vel duo sestertij cum una quinta : vel duo sestertij cum asse & triente sunt nummuli nostri 19.

Sex asses cum semisse sunt nummuli nostri 19½.

Sex asses cum besse vel octo dextantes sunt nummuli nostri 20.

Sex asses cum dextante sunt nummuli nostri 20½.

SEPTVSSIS sunt septem asses, vel duo sestertij cum duobus aßibus, id est, nummuli nostri 21.

Septußis cum sextante sunt nummuli nostri $21\frac{1}{2}$.

Septußis cum triente vel octo deunces sunt nummuli 22.

Septußis cum semisse, vel tres sestertij sunt nummuli $22\frac{1}{2}$.

Septußis cum besse, vel tres sestertij cum sextante sunt num. 23.

Septußis cum dextante, vel tres sestertij cum triente sunt num. $23\frac{1}{2}$.

OCTVSSIS sunt octo asses vel tres sestertij cum semisse, qui faciunt num. 24.

Decem dextantes sunt num. 25.

NONVSSIS sunt novem asses seu num. 27.

DECVSSIS est DENARIVS sic dictus, quod decem asses contineat, qui nummulos nostros triginta faciunt. Hunc & nummum vocant. Nummi enim nomen commune fuisse sestertij & denarij Cicero & Plinius indicant. Facit autem præcise quatuor sestertios, sive duodecim dextantes, sive duos quinarios. Budæus æstimat tribus solidis Turonicis cum semisse. Plutarchus

tarchus vocat δεκάχαλκον. δηνάριον in Græca lingua generis neutri est, quod imitatus Plautus in Rudente dixit. Centum denaria. Eum Celsus lib. 5. c. 17. in sex partes, id est, sex uncias divi-dit: ut drachmam in sex obolos. Erit igitur sex-tans denarij, vel obolus quinq; nostratium num-mulorum. Hinc phrasis, ad denarium soluere, apud Cic. pro Quintio, pro ad pecuniæ Romanæ rationem satisfacere: cum pecuniæ Gallicæ & Romanæ dissimilis ratio esset. Decussibus oves antiquitus æstimabantur, ut Festus Pompeius testatur. Denarius stipendium militare diur-num apud Romanos fuit: & apud Iudæos mer-ces diurna conductorum in vineam, Matth. 20 & 22. Denarios duos Samaritanus in curã vul-nerati hospiti dedit, Luc. 10. Denarijs ternis turdorum quinq; millia venijsse una parte villæ Varro lib. 3. c. 2. scribit.

Denarium Romani à Siculis primum accepe-runt, quinq; annis ante bellum Punicum, quo tempore argentum signari cœpit. Siculi eundem Græcis, quibus sunt viciniores, acceptum refe-runt, quibus argentea drachma denario par in usu fuit. Varro ait fuisse maximum inter Roma-

na numiſmata: ut teruncium minimum: medium quinarium, ſeſtertium, libellam, ſembellam. Fuit vero denarius non tantum argenteus, ſed & aureus: & rurſus argenteus primum decem tantum aſſes valuit: poſtea ſexdecim, ut quinarius octo: ſeſtertius quatuor aſſes: manente eodem pondere & nomine. Vtriq; enim numeri, ut ait Vitruvius, ſunt perfecti, & ſex & decem. Vtroſq; igitur in unum conjecerunt, & fecerunt perfectum decuſsi ſex. Nota igitur illius duplex fuit X & XVI.

Denarius ſive nũmus aureus argenteo annis ſexaginta recentior fuit. Habuit vero & ipſe notã antiquã X, ſed diuerſum, idq́; ſæpè mutatũ põdus. Initio juſtũ illius pondus fuit δίδραχμον, *hoc eſt, duarum drachmarum, ſive ſex ſcrupulorũ. ſub Conſulibus & Cæſaribus aliquot. Valuit denarios argenteos 25, ſive ſeſtertios centum, id eſt, tres florenos cum quatuor ſeptimis. Auri enim & argenti proportio fuit obſervata duodecupla cum ſemiſſe, ut teſtatur Suetonius, Plutarchus & Tacitus. Hoc pondus, & valor diu multumq́; duravit: & ſic libra quadraginta octo aureos continuit. Poſtea quinquaginta aurei*

percuſ-

percußi sunt è libra : & sic imminuti aurei, non aucta libra, quæ 96 drachmas tantum semper retinuit. Rursus Alexander Severus percußit partes aureorum didrachmorum, nempe semisses & tremisses, quorum illi terna scrupula: hi bina pendebant. Tum igitur aureus didrachmus solidus dici cæpit, t ab alijs nummis, qui erant partes, hoc nomine distingueretur. Tandem sub Constantino, vel Iuliano, vel, ut alibi traditur, sub Arcadio IMP. usus obtinuit, ut ex uncia Romana, quæ octo drachmas Atticas continet, seni aurei quaternum scrupulorum & sic ex libra 72, percuterẽtur, unde solidus et sextula & Græcè ἑξάγιον, corruptè stagiũ dici cæpit, quod sextã unciæ partẽ penderet. Valuit hic aureus nostros florenos duos, viginti duos cruciatos, tres nummulos. Scrupulum enim valet sestertios sexdecim cum duabus tertijs, id est, nummulos 125, qui quater multiplicati faciunt 500 nummulos, æquipollentes duobus florenis cum octo vigesimis primis. Semißis igitur nummi aurei didrachmi proprie fuit denarius aureus : alij συνεκδοχικῶς sic appellantur. Denarius enim interdum in genere omnem nummum significat:

ut patet ex Euangelio, dicente Domino; OSTENDITE mihi numisma : quo loco duo alij Evangelistæ denarium scribunt. Nec semisses aurei didrachmi primum sub Alexandro Severo cæperunt. Plinius enim lib. 33. c. 3, & lib. 37. cap. 1. meminit denarij aurei, quod denarij pondere percußus esset.

Denario argenteo majorem summam Romani expresserunt coacervatione sestertiorum, & nominibus compositũ ex asse, hoc modo.

Quinq; sestertij faciunt nummulos 37½. sex 45. septem 52½.

VIGESSIS sunt viginti asses, seu octo sestertij, qui 60 nummulos nostrates constituunt. Hujus meminit Martialis, ubi ait,

Amphora vigesſis, modius datur ære
quaterno.

Id est, amphora vini emta est viginti aßibus: modius frumenti quatuor.

Novem sestertij faciunt nummulos 67½. Decem 75. Vndecim 82½.

TRICESSIS, sunt triginta asses, seu duodecim sestertij, sive nummuli nostri 90, sive cruciati 25⅝.

Tre-

Tredecim ſeſtertij ſunt nummuli 97½. Quatuordecim 105, id eſt, dimidius florenus. Quindecim 112½.

QVADRAGESSIS ſunt quadraginta aſſes, ſive ſeſtertij 16, id eſt, num. 120. Seſtertij 17 ſunt num. 127½. Octodecim 135. Novendecim 142½.

QVINQVAGESSIS ſunt quinquaginta aſſes, ſive ſeſtertij viginti, id eſt, num. 150. Seſtertij 21 ſunt num. 157½. viginti duo 165. viginti tres 172½.

SEXAGESSIS ſunt ſexaginta aſſes, ſive ſeſtertij viginti quatuor, id eſt, nummuli 180.

Seſtertij viginti quinq; ſunt num. 187½. viginti ſex 195. viginti ſeptem 202½.

SEPTVAGESSIS ſunt ſeptuaginta aſſes, ſeu ſeſtertij 28, qui num. 210, id eſt, noſtratem florenum conſtituunt.

Viginti nouem ſeſtertij ſunt num. 217½, triginta num. 225 ſeu cruciati 64$\frac{2}{7}$. Tot nummi precium ſingulis Perſicis Duracinis fuere: nullius majore, quod miremur, quia non aliud fugacius. Longiſſima namq; decerpto bidui mora: cogitq; ſe venundari. Plin. lib. 15. c. 12.

OCTO-

OCTOGESSIS sunt æris seu asses octoginta, sive sestertij 32, id est, num. 240. sestertij 34 argenteum ferè uncialem explent.

NONAGESSIS sunt asses nonaginta, id est, num. 270. sive bacij 19 cum $\frac{2}{7}$.

CENTUSSIS sunt centum asses, sive quadraginta sestertij sive num. 300, id est, cruciati 85$\frac{5}{7}$, qui valorem veteris coronati Gallici, & ducati Hispanici; nunc ferè aurei Rhenensis constituunt. Tot nummos frequenter populo congiaria Augustus dedit. Suet. in Aug. c. 41.

Quinquaginta sestertij, valent nostris nummulis 375 seu cruciatis 107$\frac{1}{2}$. quinquaginta duo num. 390 seu cruciatis ferè 112. quinquaginta sex, num. 420, seu cruciatos 120, qui hodie est valor aurei Hungarici apud nos.

Sexaginta sestertij faciunt nummulos nostros 450, Tot nummos viritim congiarium distribuit Caligula: his addit fœnoris nomine quindenos, quod non statim solvisset. Dio. 59.

Centum sestertij valent aureum didrachmũ, sive Angelum nostri temporis. HS nummos centenos Galba apud IMP. Othonem cœnans

cohorti

cohorti excubias agenti viritim divisit.

Centum & viginti sestertij sunt nobis nummuli 900, seu cruciati 257$\frac{1}{7}$, qui florenos 4$\frac{2}{7}$ constituunt. Tot nummos congiarium viritim Cæsar legavit. Dio. lib. 44.

Centum quadraginta tres sestertij faciunt ferè nummulos 1071, & sic Rosam nobilem.

Ducenti sestertij valent nostris nummulis 1500, id est, florenis 7$\frac{1}{7}$. Nummis ducenis singula paria pullorum columbarum Romæ vænijsse refert Varro lib. 3. c. 7. Totidem nummis pavones vænijsse idem refert lib. 3. c. 6. Et tot sestertijs murem vænijsse, Casilinum obsidente Hannibale: eumq́; qui vendiderat fame interijsse: emtorem vixisse tradunt. Plinius lib. 8. c. 57.

Treceni sestertij faciunt nostros nummulos 2250, id est, florenos 10$\frac{5}{7}$. Tot nummis quadragenæ urnæ vini væneunt, Columel. lib. 3. c. 3.

Quadringenti sestertij sunt mille asses seu æris, qui faciunt florenos 14$\frac{2}{7}$. Tot nummos Cæsar AVG. congiarium populo viritim divisit.

Sexcenti sestertij faciunt nostros nummulos 4500,

4500, id est, florenos nostros $21\frac{3}{7}$. *Tot nummi singula millia viviradicum vaeneunt. Columel. lib. 3. c. 3.*

Octingenti & quadraginta sestertij valent nostris nummulis 6300, id est, aureo Portugalensi, qui pro 30 florenis exponitur.

Mille sestertij valent nũmulis nostris 7500, id est, florenis $35\frac{5}{7}$.

Millibus singulis nummum bini congij gari permutantur. Plinius lib 31. c, 8.

Mille nummum datur aeruscanti, & philosophum se ostentanti. Gellius lib. 9. c. 2. Mille nummos dari jussit AVG. ei qui noctuam, à qua somnus ejus raptus erat, prehendit. Macrob. lib. 2. Sat. c. 4. Hanc summam latinos sestertium in genere neutro vocare supra diximus.

Mille ducenti nummi faciunt nummulos nostros 9000, seu florenos $42\frac{6}{7}$, *seu taleros* $35\frac{5}{7}$. *Tot nummi precium serui. Martialis lib. 10. Epigram.*

Mille sexcenti nummi faciunt nummulos nostros 12000, id est, florenos $50\frac{5}{7}$. *Mille sexcentis HS L. Axius singula Columbarum paria vẽditavit. Varro lib. 3. c. 7. Cicero in V actione*

Verri-

Verrina, HS MDC, & denarios quadringentos pro eodem ponit: & est precium Cupidinis Praxitelis.

Duo sestertium, id est, duo millia sestertium valent nummulos nostros 15000, id est, florenos nostros 71$\frac{3}{7}$.

Sunt autẽ duo sestertia. Bina sestertia donatiuum Cæsar militibus in triumpho dedit. Dio. lib. 43. Binis millibus nummûm unius arboris usus fructus annuus à Propola conductus & addictus est. Plinius lib. 17. c. 1.

Tria sestertium, id est, tria millia sestertiûm nummûm valent nobis nummulos 22500, siue florenos 107$\frac{1}{7}$· siue florenos Brabanticos centum quinquaginta. Tot millia nummum Sylla locarium pro inferiore habitaculo est apud Plutarchũ in Sylla.

Quatuor sestertium, id est, quatuor millia sestertiorum nummum nobis valent nummulos 30000, siue denarios mille, siue florenos ferè 143. Tot nummos Roscius Comœdus mercedem diurnam de publico accepit. Macrobius lib. 3. Saturn. c. 14.

Quinq; sestertium, id est, quinq; millia sestertium

tium nummum nobis valent nummulos 37500. sive florenos $178\frac{14}{21}$, sive florenos Brabanticos 250. Tot millibus HS Octavius mullū emit vendente Tiberio. Seneca Epist. 90. ad Lucill.

Sex sestertium, id est, sex millia sestertium nobis valent nummulos 45000, sive florenos $214\frac{2}{7}$. HS sena millia carduos apud Carthaginem magnam, Cordubamq́, præcipuè ex arvis reddere certum est: quoniam portenta quoq; in ganeam convertimus. Plinius lib. 19. c. 8. Totidem nummis rex Attalus emit tabulam Aristidis, Liberum patrem continentem. Plinius lib. 35. c. 4. Tot nummi sex sestertia faciunt. Ejus summæ Martialis quoq; meminit lib. 4. Epigram. in avarum amicum.

Millia misisti mihi sex, bis sena petenti:
    Vt bis sena feram, bis duodena petam.

Decem aut dena sestertium, id est, decem aut dena millia sestertiorum valent nobis nummulos 75000, sive florenos nostros $357\frac{1}{7}$. Ad tot millia nummum edicto Claudij honorarium advocatis accipere licebat, alioquin repetundarum tenebantur. Tacitus lib. 11. Et dena sestertia pro singulis versibus, qui erant 21, & in 6 Aeneid.

extant

extant de Marcello, Octavia Marcelli mater, Auguſti Cæſaris ſoror, Virgilio dare juſsit.

Viginti ſeſtertiûm, id eſt, viginti millia ſeſtertiorum nummûm nobis valent nummulos 150000, id eſt, florenos $714\frac{3}{7}$. *Tanti emtus fuit corvus ab Auguſto, cum ipſi ex Actiaca victoria revertenti dixiſſet inter gratulantes. Ave Cæſar, victor, imperator. Sueton. in AVG.*

Quadraginta ſeſtertiûm, id eſt, quadraginta millia ſeſtertiorum nummûm nobis valent nummulos 300000, ſive florenos $1428\frac{4}{7}$. *Quadragena ſeſtertia citharœdis, quibus minimum, Veſpaſianus dedit. Suetonius in Veſpaſ.*

Sexaginta ſeſtertiûm, id eſt, ſexaginta millia ſeſtertiorũ nũmûm nobis valent num. 450000, ſive florenos $2047\frac{13}{21}$. *Tot millia nummûm M. Aufidius Lurco è pavonibus capere dicitur in anno. Varro lib. 3. c. 6.*

Centum ſeſtertiûm, id eſt, centies mille, aut centum millia ſeſtertiorum valent nobis nummulos 750000, ſive florenos $3571\frac{3}{7}$. *Annua centena Veſpaſianus primus è fiſco Latinis Græciſq; Rhetoribus conſtituit. Suetonius in Veſp.*

Ducenta ſeſtertiûm, id eſt, ducenta millia ſe-

ſtertiorum nummûm: & ducenties mille, valent nobis nummulos 1500000, ſeu florenos noſtros $7142\frac{6}{7}$. *HSCC millibus Lucullus in cænaculo, cui cognomen Apollo erat, cænare ſolebat: quod Plutarchus in Lucullo rectè quinq; myriades, ſcilicet drachmarum interpretatur: nummos Græcos cum Romanis conferens.*

Quadraginta ſeſtertiûm, id eſt, quadringenties mille, aut quadraginta millia ſeſtertiorum nummûm nobis valent nummulos 3000000, ſeu florenos $14285\frac{5}{7}$. *Hic cenſus fuit Romæ ordinis equeſtris, libera Rep.*

Decies ſeſtertiûm, id eſt, millies mille, vel decies centena millia ſeſtertiorum nummûm nobis valent nummulos 7500000, ſive florenos $35714\frac{2}{7}$. *Decies ſeſtertiûm Ciceronis caput ab Antonio III viro æſtimatum, id eſt, viginti quinq; myriadibus drachmarum, ut interpretatur Appianus.*

Duodecies ſeſtertiûm, id eſt, triginta millium coronatorum fuit cenſus ſenatorius ſub imperio Iulij Cæſaris.

Centies ſeſtertiûm, id eſt, centies centena millia, aut, quod idem eſt, decies millies mille ſeſterti-

ſterti-

stertiûm valet nostros nummulos 7500000, sive florenos 357142$\frac{6}{7}$. Tanti fuit æstimatus unio, quem Cleopatra aceto resolutum in cœna præsente M. Antonio III viro bibit.

Millies sestertiûm, id est, millies centena millia nummûm valent nobis nummulos 750000000, sive florenos 3571428$\frac{4}{7}$. Millies sestertiûm Cicero à Verre ex lege repetit. Cicero in divinat. Plura in infinitum quivis sua industria simili modo supputare potest.

Denarius igitur maximum inter Romana numismata facit duos quinarios: quinarius duos sestertios: sestertius unum dupondium cum semisse: dupondius duos asses: unus as seu libella duas sembellas: una sembella sex semiobolos.

Recentiora numismata Romæ cusa sub Impp. Christianis sunt miliarisium & talantium, quorum Epiphanius meminit.

Miliarisium valet denarios duos cum semisse, in nostrate moneta nummulos 75, sive cruciatos 21$\frac{3}{7}$. Sic dictum, quasi mille assis semunciæ infimæ notæ, quarum una facit $\frac{3}{40}$ unius nummuli nostratis. Appellatur & ἄργυρον & στρατιωτικὸν δόμα, quasi donatio militaris. Vox

ad ostentationem conficta, quasi milleni nummi militibus darentur.

Talantium fuit nummus argenteus, valens duo milliarisia, sive ἀργυρᾶ, sive quinq; denarios, in nostrate moneta nummulos 150, sive cruciatos 41$\frac{3}{7}$. Appellatur & phollis.

NOMINA GRAECA MOnetarum.

Græci pondera & monetas iisdem vocabulis appellarunt. Sunt igitur nomina monetarum hæc, λεπτὸν, χαλκοῦς, κόλλυβος, ὄβολος, δραχμὴ, στατὴρ, μνᾶ, τάλαντον.

λεπτὸν, *minutus nummus æreus, sic dictus, quod nullum est numisma minus. Latini minutum: Germani* ein meitle *vocant. Est autem chalci septima: Hebræis octava pars. Hujus meminit Luc. cap. 12.* λέγω σοι, οὐ μὴ ἐξέλθῃς ἐκεῖθεν, ἕως καὶ τὸ ἔσχατον λεπτὸν ἀποδῷς, *hoc est, dico tibi, non exibis inde, quousq; minimum minutum reddideris. Et Lucæ 21, vidua paupercula duo* λεπτὰ *in gazophylacium conjecisse dicitur. Quod vero addit Lucas, duo illa minuta ærea quadrantem fuisse: Chalci quartam partem*

tem indicasse videtur: atq; adeo Chalcum in octo æra divisum. In ære olim tam minuti nummuli facile cudi potuerunt: nunc in usu non sunt, propter vile precium, quo nihil commutari potest. Ex supputatione apparet λεπτὸν fuisse nostri nummuli $\frac{5}{48}$. Chalcus enim habet octo λεπτὰ: chalci sex faciunt obolum: oboli sex drachmam.

χαλκοῦς, latinè æreolus, Germ. küpfferling/ in specie significat nummulum æreum, qui sexta oboli pars fuit, valens $\frac{5}{6}$ nummuli nostratis, id est, ferè unum nummulum. Hinc δίχαλκος, τρίχαλκος, τετράχαλκος, πεντάχαλκος, duo, tres, quatuor, quinq; chalci.

κίδαβος, Polluci nummus æreus est decima sexta pars drachmæ, valens grana Græca quatuor & semissem: id est, duos ferè nummulos nostros.

ὀβολὸς & ὀβελὸς, latinè obolus, nummus vetus apud Græcos, sic dictus ab instrumento culinario, quod ὀβελὸν Græci, latini veru vocant. Fiebat enim olim ex ære & ferro instar sagittæ. Plutarchus ὀβελίσκον vocat. Etsi vero oboli forma mutata est postea, & oboli nummi non ob-

longi, sed rotundi, ut alij nummi sunt percussi, mansit tamen vetus rei appellatio. Est autem duplex, Atticus & Hebræus. Atticus fuit drachmæ pars sexta, & valuit quinque nummulos nostrates. Hebræus, Keschita dictus à pecude, major est Attico quinta parte, valens sex nummulos nostrates. Fuit autem divisus in duos semiobolos, quorum unumquenque ἡμιώβολον *appellant: &* ἡμιωβόλιον *scilicet numisma, &* ἡμίεκτον, *quod sit semisexta pars drachmæ. Idem rursus fuit divisus in sex æreola seu chalcos, Hebræis in octo. Atticus ab Aegineo non differt pondere & æstimatione, sed latitudine. Ille enim minore: hic majore fuit latitudine. Obolum quidam* χελώνην, *id est, testudinem, Peloponnesiorum nummulum esse volunt: unde illud proverbium.* τὰν ἀρετὰν καὶ τὰν σοφίαν νικᾶντι χελῶναι.

Ab obolo composita sunt hæc nomina, διώβολον, τριώβολον, τετρώβολον, *hoc est, diobolus, triobolus, tetrobolus nummus, valens 10, 15, 20, nummulos nostrates.*

Διώβολον *accipere solebant ad concionem venientes: ori item defunctorum imponebant:*

at

ut Acheronti naulum solvere possent, quo citius aquas stygias traijcerent.

Triobolo cognatus fuit nummus Asiaticus Cistophorus, sic dictus à cistigeris, quorum typum impressum habuit. Fuerunt autem cistigeri, qui sacrorum arcana cistis inclusa gestarunt. Valor illius fuit 16 nummulorum nostratium. Quatuor enim denarij, autore Festo, Cistophoris septem cum semisse æstimati sunt. Act. 19. Lucas precium librorum Magicorum Ephesi exustorum scribit fuisse ἀργυρίου μυριάδων πέντε. Hoc igitur ad Cistophoros reductum facit num. 800000, id est, florenos 3809 $\frac{11}{21}$.

Tetroboli typum Iulius Pollux fuisse refert in una quidem parte effigiem Iovis: in altera vero duas noctuas. Eustathius τετρωβόλου βίον pro militis stipendio usurpat. Nobis sunt sex ferè cruciferi.

Δραχμὴ, est moneta Attica, sic dicta à δράττομαι, carpo, seu pugnum impleo, quasi δραγμὴ, hoc est, manipulus, quod sex oboli, quos valet manum in pugnum contractam complent: vel ex Hebraico דֶּרֶךְ, dereth, via & מָנָה, Monoh, numerus, sive appendix, quasi viaticũ, quod expen-

 ditur

ditur viatori, ein zeerpfenning. *Est autem ejusdem cum denario Romano valoris & ponderis, valens nostrates nummulos triginta: pendens scrupula tria. Alio nomine Græcis est* ὁλκὴ, *sic dicta ab* ἕλκω, *traho, quod pondus lancem, cui imponitur, trahat. Fuit autem non tantum argentea, sed & aurea, ut & denarius apud Romanos. Aureæ fit mentio Esdræ 2. cap. 7.*

A drachma sunt composita, δραχμιαῖος, *&* τετραδραχμιαῖος, *vel per syncopem* τέτραχμος, *precij unius, quatuor drachmarum. Et didrachmum, tridrachmum, tetradrachmum, pentadrachmum, hexadrachmum, pentecadrachmum pro nummo duarum, trium, quatuor, quinque, sex, quinquaginta drachmarum.*

βοῦν,. *bovem nummum didrachmum fuisse Pollux testatur, quem Theseus Athenis percussit, sic dictum à bouis effigie impressa. Hinc proverbium.* βοῦς ἐπὶ γλώσσῃ βέβακεν, *hoc est, bos in lingua incedit, dici solitum de eo, qui argento corruptus taceat. Sic à figura impressa nummi Demetriani appellati sunt* ναοὶ ἀργύρεοι Ἀρτέμιδος, *templa Dianæ argentea, Act. 19.* πῶλοι,

pulli

pulli nummi Corinthiorum: κόραι, *puellæ, nummi alij Atheniensium. Et hodiè Taleri Leonini, Belgis usitati: corui Basilienses: ursati Heluetij.*

A βοῦς *composita sunt* δεκάβοιον, ἐννεάβοιον, ἑκατόμβοιον. δεκάβοιον, *decabæum in Draconis legibus fuit pæna decem boum.* ἐννεάβοιον, *enneabœum novem bobus:* ἑκατόμβοιον, *hecatombæum, centum bobus æstimandum. Faciunt autem centum boves argentei didrachmi florenos viginti octo cum quatuor septimis vel viginti quinque taleros. Centum vero boves aurei didrachmi proportione duodecupla cum semisse faciunt florenos 350: taleros trecentos duodecim cum semisse.*

στατήρ *nomen æquivocum est. Nam & libram significat, & nummum, sic dictum à verbo* ἱστάναι, *quod præter alia appendere & librare est: ut sit stater, quasi librator: propterea quod olim nummi appenderentur, & justo pondere cuderentur. Estque alius argenteus, alius aureus. Argenteus didrachmus & tetradrachmus erat: aureus vero ferè didrachmus: sæpe etiam tetradrachmus. Valuit igitur stater didrachmus argenteus cruciatos 17 cum una septima: tetra-*

drachmus vero cruciatos 34$\frac{2}{7}$. Didrachmus autem aureus cruciatos 214$\frac{2}{7}$, id est, florenos tres cum quatuor septimis: tetradrachmus aureus cruciatos 428$\frac{4}{7}$, id est, florenos septem cum una septima. Christus, ut refert Matth. c. 17. pro se & pro Petro ex ore piscis trahi & dari jubet ijs, qui τὰ δίδραχμα colligebant, staterem: ubi tetradrachmum intelligit. Didrachmum enim argenteum singuli solverunt: tetradrachmum autem binis didrachmis æqualem fuisse oportet: ut sufficeret pro duobus. Camerarius didrachmum aureum (quem Græci simpliciter χρυσοῦν etiam vocant) exponit, quod Christus ejus beneficij autor aliquid superesse, & plus dare, quàm petebatur, voluerit. Tetradrachmi valorem habuit moneta, quam Græci κόρην & παρθένον, filiam seu puellam vocarunt. Syri corrupte Astiram vocant: Chaldæi pilles.

Μνᾶ, & Ionicè μνέα, latinè mina, maxima, ut ait Suidas, talenti pars, sic dicta ab Hebræo Maneh, quod minam significat. Fuit autem duplex, vetus & nova. Vetus erat drachmarum 75, valens florenos nostros 10$\frac{5}{7}$. Nova, quam Solon instituit, fuit drachmarum centum, valens

lens florenos nostros 14 2/7. Qua ratione pauperibus & obæratis magnam opem tulit Solon. Nam si quis fænerator egentis agellum emisset centum, verbi gratia, minis veteribus, is totidem novas exoluere jubebatur. Eandem minam & numisma vocarunt: ut seminumisma semiminam. Sic Plutarchus scribit Tigranem seminumisma dedisse singulis militibus Pompeij, quod Appianus dixit quinquaginta drachmas. Mina, præceptoris didactrum fuit, ut est apud Athenæum lib. 13. Septuaginta minis canem emtum habuit Alcibiades, ut refert Plutarchus, id est, florenis nostris mille.

τάλαντον, *talentum, maxima auri & argenti pars, ut definit Suidas. Est autem duplex: parvum & magnum. Parvum est particula magni, estq; vel argenti, vel auri. Argenti, ut Siculum, idq; vetus & novum. Vetus habuit sex drachmas, id est, cruciferos 51 3/7. Novum est semissis veteris, valens cruciferos 25 5/7, quod ut talenti Attici minoris pars est bis millesima: ita illud vetus ejusdem millesima pars reperitur.*

Auri, ut Atticum & Macedonicum: ex quibus illud, teste Polluce, tres aureos stateres di-

drachmas

drachmos valuit: hoc, teste Eustathio, tres aureos tetradrachmos: ut illud bis millesima: hoc millesima talenti pars fuerit.

Talentum magnum est vel Atticum vel Euboicum. Cætera genera, quorum alij meminerunt, ut minus usitata hîc omittimus.

Atticum, quod minus vocant, valet minas sexaginta, seu drachmas sexies mille, id est, florenos 856$\frac{1}{7}$, sive taleros 714$\frac{2}{7}$. De hoc loqui autores tam latinos quàm Græcos censet Budæus, quoties de talento simpliciter loquuntur. Quoties vero de alio, tum addere vel numerum vel patrium nomen, ut septuagenarium, centenarium, Euboicum, Babylonicum, Aegyptiacum, Aegineticum, siclare.

Talentum singulis sophistis dono dedit Pompejus M. in Rhodo & Athenis, Philosophis, ex Asia decedens & in Italiam rediens.

Talentum Sophistarum διδακτρον fuisse Suidas testatur. Talento minoris neminem docuit Eupompus pictor annis decem. Plinius lib. 35. c. 10.

Talentum argenti Alexandro M. è fodinis metallicis quotidie provenit. Herodianus.

Euboi-

Euboicum, est quod Atticũ majus vocari solet, ut supra diximus, valens minas octoginta, sive drachmas octies mille, id est, florenos 1138$\frac{2}{21}$. Darius rex Persarum aurum talento Euboico in sua ditione sibi pendere jussit, ut refert Herodotus.

Fuit & talentum æneum apud Siculos usitatum, de quo Pollux ἓξ τάλαντα, δύο χαλκοῖ. *Sex talenta, duo Chalci.*

A voce τάλαντον *composita supra retulimus.*

διτάλαντον, *sunt duo talenta. Talentis duobus Democedes Medicus à Polycrate Samio annua mercede conductus est, ut ait Herodotus. Suidas tanti curatum refert. Totidem talentis Cato major mulctatus est à Tribunis impulsu factionis Quintij. Facit centum viginti millia æris: & sic interpres Cruserius convertit ex Plutarcho.*

τριτάλαντον *sunt tria talenta. Talentis tribus Atticis paucos Speusippi libros ab Aristotele emtos esse refert Agellius lib. 3. c. 17. Valent centum octodecim millia æris, id est, florenos 2571$\frac{3}{7}$.*

πεντετάλαντον, *sunt quinq; talenta. Talentis*

quinq;

quinq; Cleo à sua civitate mulctatus est: quod pecunia ab insulis corruptus esset. Aristoph. in Acharn. Talentorum quinq; mercede accepta Demades se legatum offert ad Alexandrum, ut refert Plut. in Demosth. Facit florenos nostros $4285\frac{5}{7}$.

ἑπτατάλαντον sunt septem talenta, id est, floreni 6000. Talenta septem à paterna hæreditate Solon apud Athenienses primus suis debitoribus remisit: et suo exemplo σεισάχθειαν introduxit. Plutarchus in Solone.

ὀκτωτάλαντον sunt octo talenta, id est, floreni $6857\frac{1}{7}$. Talentorum octo ὀσίαν, hoc est, substantiam seu facultates Crates neglexit, & ad Philosophiam se contulit. Plutar.

δεκατάλαντον sunt decem talenta. Talenta decem Tobias Gabaëli, Gabriæ filio, mutuo dedit, Tobiæ 4. Facit florenos $8571\frac{3}{7}$.

πεντεκαιδεκατάλαντον sunt quindecim talenta. Talentis quindecim autographa poëmatum Homeri & Sophoclis Ptolemæus Philadelphus ab Atheniensibus emit. Facit florenos $12857\frac{1}{7}$.

εἰκοσιτάλαντον sunt viginti talenta, id est, floreni

floreni 17142 $\frac{6}{7}$. Talenta viginti annua Darius, Histaspis F. Iudæis constituit in templi Hierosolymitani structuram & instaurationem. 4. Esdræ 4.

ἑκατοντάλαντον *sunt centum talenta. Talentorum C. Catoni hæreditas obvenit. Talentis C. donatus est Eristratus Aristotelis filia genitus, Antiocho rege sanato, à rege Ptolemæo filio ejus. Plinius lib. 49. c. 1. Facit florenos 85714 $\frac{2}{7}$.*

Reliquorum talentorum valorem sua industria quilibet per regulam quatuor proportionalium supputare potest.

Porro nec mina nec talentum genus aliquod monetæ percussæ fuit: sed utrunq; argenti numismatis exsolui solebat. Tanta enim minarum & talentorum est magnitudo, ut illa ab una difficulter capi: hoc vix longiori itinere portari posit.

Talentum igitur maximum inter Græca numismata facit minas sexaginta: mina 25 stateres tetradrachmos: stater tetradrachmus 4 drachmas: drachma sex obolos: obolus sex chalcos: chalcus octo lepta.

NOMI-

NOMINA NVMMORVM Hebraica.

Nomina monetarum Hebraica ſunt hæc. Gera, darkemon, beka, ſiclus, maneh, Cicar.

Gerah fuit ſicli pars vigeſima, valens noſtrates nummulos ſex: ſic dicta à verbo agar, id eſt, congregauit, quod multæ ſimul ejusmodi argenti portiunculæ inter ſe mixtæ exiguam ſpeciem ſingulæ, nec ſatis notabilem præbeant. Hinc Græcum nummulum χοῦ *deductum eſſe quidam putant, &* κεράτιον, *nomen ponderis. Pendet autem tres ferè ſiliquas. Vocatur idem & Agerah, unde Græcum* ἀγορὰ, *id eſt, forum, ubi res venales proſtant: & Keſitah, quod ovem ſignificat, à typo impreſſo. Chaldæi Meah appellant, interpretes latini obolum.*

Darkemon, vel darkmon ejusdem cum drachma originis & valoris eſt. Significat enim nummum ſed ferè aureum, drachmæ Atticæ pondere percuſſum. Argenteus valet quinq; geras, ſive triginta noſtros nummulos: aureus unum florenum, 47 cruciferos, unum obolum. Vocatur & Adarkon, & zuza. Valuit enim quartam partem Sicli: & ſic zuzam Chaldæus Paraphraſtes

Regum

Regum 9. interpretatur. Et mina Hebraica centum zuzim continet. Hoc genus monetæ eo tempore, quo Christus in terris ambulavit, imaginem & inscriptionem Cæsaris Romani habuit, Matth. c. 22. Honestus victus annuus pauperi definitur esse ducentorum zuzim, quem qui habeat, mendicare non cogatur: aliàs excommunicationis pænam ipse jure subiturus. Faciunt autem ducenti zuzim florenos ferè triginta.

Beka valuit duo darkmon, præcisè cruciferos 17 & unum obolum: sic dicta à verbo baka, in duas partes dissecuit, quod esset didrachmũ, id est, dimidia Sicli pars. Hoc δίδραχμον, sive ἡμισίκλιον Iudæi omnes, quotquot viginti annorum & ultra erant usq; ad annum ætatis quinquagesimum olim quotannis ex constitutione divina viritim pendere cogebantur: ut est Exodi 30 & 38. Levitici 27, ut hac pecunia templi cultus divini, & sacrorum impensæ suffulcirentur. Quam pecuniam Romani postea Romam transtulerunt, & in publicum ærarium intulerunt. Qui census primus factus est in Iudæa sub Cæsare Augusto, Quirino Syriæ præside: quem & mater Domini Christum utero ge-

rens & paulo post Bethlehemæ pariens secum attulit, ut solveret: quod fuit certum indicium, Iudæos tum factos esse cives & subditos Romanos, & Christum jam venisse, cum sceptrum de tribu Iuda tum primum ablatum esset, ut Patriarcha Iacob prædixerat.

SICLVS dictus à Sachal, quod est, libravit, quasi librator. Fuit enim nomen & ponderis & nummi apud Hebraos: à quibus tandem ad alias gentes transijt, ut Persas & Gracos: ut apparet ex Xenophonte & Hesichio. Sunt autem cognata pondus & nummus, eò quod olim pecunia librabatur, sicut hodie numeratur: unde phrasis, appendere pro numerare vel solvere. Et Siclus fuit quasi omnium ponderum modus ac velut regula. Græci suo nomine staterem vocant, & sic septuaginta vocem Sicli interpretantur. Interdum vero & drachmam significat, ut cum scriptura ait comam Absolonis fuisse centum & uiginti quinq; Siclorum. Nũmus autẽ fuit uncius, unicus unius & ponderis & æstimationis, Romanæ semunciæ æqualis, valens quatuor drachmas, quæ æquipollent nostris nummulis 120. Hinc & Siclus sanctuarij appellatur & publicus & regius. Ac

us. Ac Sanctuarij quidem, ut amphora Capitolina, quod asservaretur in Sanctuario, loco sacro, ut ibi omnes Sicli justi ponderis exæquarentur. Publicus, quod vulgaris & communis esset, publicis commercijs & contractibus deserviens. Regius, quod regio & publico pondere examinatus esset. Alij aliter interpretantur, & tribus istis Siclis diversa tribuunt pondera: sacro quatuor: publico duas: regio tres drachmas: ac sacrum vocatum, quod in templo & in rebus sacris ejus usus esset. Profanum, quod vulgus eo uteretur. Regium, quod regum tempore percussus esset. Hæc vero distinctio merum Rabbinorum figmentum est; & sacræ scripturæ repugnat. Expresse enim Exodi 30, Levitici 27, Ezech. 45. dicitur. Siclus viginti geras habet, id est, cruciatos nostrates $34\frac{2}{7}$, id est, fere dimidius talerus. Vna enim uncia, taleri pondus est. Semissis igitur sunt cr. 18. Triens cr. 12. Quadrans cr. 9. Fuit vero Siclus alius Persicus, alius Hebræus. Persicus octo obolos Atticos, id est, nummulos nostrates 40 valuit. Hebræus fuit tetradrachmus: isq; triplex, æreus, argenteus, aureus: qui omnes ejusdem ponderis fuerunt,

sed diversæ æstimationis. Sicli enim aurei quinquaginta sunt sexcentis viginti quinq; argenteis pares. Aereus fuit as semuncialis, valens nostros nummulos tres. Siclus subintelligendus est, quoties aureus vel argenteus legitur in novo testamento: ut cum dicitur triginta argenteis Christum fuisse venditum, & totidem emtum agrum in suburbanis Hierusalem, qui in moneta nostra nunc florenos 17, octo cruciferos, duos nummulos, faciunt. Sicli argentei & hodie passim reperiuntur, quibus in uno latere virga Aaronis florens impressa est, amygdala producens, cum inscriptione Hebraica, quod urbis Hierosolymorum moneta sit. Siclus autem fuit aureus, quem Iob. cap. 42. suis amicis donavit, quibus imago ovis impressa fuit, & duos duplicatos Hungaricos valuit. Germanis est Schackel & Säckel: *unde vox* Schach & Schock *oritur. Chaldæis Selah, quod proprie lapidem significat. Lapis enim apud Hebræos in specie pondus significat: ut cum dicitur Deuter. 25. Non esto tibi in sacculo tuo lapis & lapis, hoc est, diversa pondera.*

Siclo cognata est vox Keseph, quæ in genere pecuni-

pecuniam & argentum significat: sic dicta à verbo Kasaph, latinè desideravit, quod homines ferè omnes ejus desiderio teneantur. In specie vel bekam, vel siclum vel minam significat. Septuaginta igitur interpretes nunc ἀργύριον, nunc δίδραχμον, nunc χρυσοῦν convertunt. Exempla paßim extant in sacris literis.

Maneh, quod & mineh & meneh vocãt, à radice manah dicitur, quod rem per partes seu numeros subducere significat: estq́; duplex minor & major. Minor triginta major sexaginta Siclos valuit. Majorẽ solã quidã amplectuntur, utpote quã Ezechiel cap. 45. approbat, æquipollẽs nostris florenis 34 cruciferis 17, obolo uno. Hujus meminit Iosephus lib. 14. cap. 12. ἀρχαιολ. ubi refert Crassum in Parthos per Iudæam proficiscentem è templo Hierosolymitano abstulisse trabem ex auro solidam, factam ex minis trecentis. Est autem mina duplex, una argenti, altera auri. Mina argenti valuit nũmulos 7200, sive florenos $34\frac{2}{7}$. Auri vero num. 90000, qui æquipollent florenis $428\frac{4}{7}$. Si itaq́; minæ trecentæ argenti fuerunt, constabat trabs aurea num. 2160000, id est, florenis $10285\frac{5}{7}$. Sin auri fuerunt, constabat eadẽ

num. 27000000, id est, florenis 128571 5/7.

CICAR vel Kickar, Hebraicum ut pondus, ita numiſma eſt, talentum ſignificans, idq́ue duplex, argenti & auri. Argenti talentum continet ſiclorum tria millia, minas Hebraicas quinquaginta, Atticas centum viginti, drachmas 12000, quæ æquipollent noſtris nũmulis 360000, id eſt, florenis 1714 2/7. Hujus meminit Ioſephus lib. 14. c. 12, ubi inquit. Bis mille talenta pecuniarum Craſſus in Parthos proficiſcens è templo Hieroſolymitano abſtulit, id eſt, florenos noſtrates 3428571 3/7. Auri talentũ, habita proportione argenti ad aurum duodecupla cum ſemiſſe, continet florenos 21428 4/7. Hoc intelligi lib. 1. paralip. c. 11. & 20. eruditi judicant, ubi David ad Salomonem filium ſic loquitur. Ego in paupertate mea præparavi impenſas domus Domini auri talenta centum millia. Quæ ſumma facit bis mille centum quadraginta duos milliones, octingenta quinquaginta ſeptem millia, centum quadraginta duos florenos cum ſex ſeptimis, quæ cifris ſic notatur, 2142857142 6/7.

Eſt igitur hæc ſeries Cicaris partium. Cicar argenti habet minas Hebraicas minores centũ, majores

majores quinquaginta: mina major ſiclos ſexaginta: Siclus duas bekas: beka duas zuzas: una zuza, id eſt, drachma ſeu darkemon geras quinq; : gera ſex noſtros nummulos.

NOMINA MONETARVM Germanica.

Nomina pecuniæ in Germania ſunt varia, eaq; non ubiq; eadem.

Aliæ enim eſt moneta Sueviæ, alia Saxoniæ, alia alibi. Suevi & Bavari moneta nigra: Auſtriaci & Salisburgenſes alba utuntur.

Auguſtæ VIND. uſitata ſunt hæc, Heller/ pfenning/ dreyheller/kreützer/ bömiſch/plappart/ batz/ſchilling/ zehenkreützer/ floren/ thaler/krone.

Heller *ſive* haller, *eſt moneta minima, ſic dicta quaſi* ein halber/ *id eſt, dimidius nummulus: & hinc helbling & helbing alibi. Quidam Hallenſem vocant, quod apud Halam Sueviæ primum ſignatus ſit. Latinis eſt ſextans aſſis. Vulgus obolum vocat* καταχρηστικῶς, *Græcæ monetæ nomine, cum apud Græcos plus valeat. Quod vero unciæ taleri eſt* $\frac{1}{48}$, *quæ facit* $\frac{1}{8}$ *cru-*

 ciferi,

ciferi, ὡς ἔγγιστα oboli pondus habet. Alij semidenarium. G. Agricola nummulum simplū seu minusculum, Saxones ein scharff *vel* scherffling/*quod ex assarion deductum videtur, Græcis sic dicto, quasi aßiculum. As enim Romanis fuit minima pecuniola.* Ἀναλογικῶς *igitur nostro hallero respondet. Hujus fit mentio Matth. 10. Nonne duo passerculi assario veneunt. Valet* $\frac{1}{420}$ *floreni. Nam 420 halleri florenum Rhenensem faciunt. Differt igitur ab helblingo Helvetico, & Ratisbonensi helbingo: & hallero Misnensi, Viennensi, Brisgoico, Francfurtensi, Moguntino: quem* Bingerheller *vocant. Valor singulorum ex valore nummuli, cujus est dimidium, de quo postea, cognosci potest.*

Lunæburgi æreus est. Parvus autem cum sit, superficiem habet ut plurimum non planam, sed concavā, ut facilius retineri & numerari poßit. Olim manuati oboli, dicti hendleinshaller, *in usu fuerunt, sic formati, ut homines sui juramenti & fidei manu stipulata datæ admonerent. Tales cusi feruntur à Rodolpho IMP. cui manus ad Mersburgum in prælio amputata fuit.*

Pfenning/*penninga, à latino pecunia no-*

men

men habet: Significat autem & in genere & in specie. In genere omnem monetam, ut cum dicitur, dicke pfenning/ *crassæ penningæ pro capitatis & taleris. In specie monetam, quæ duos halleros valet: unde G. Agricola nummulum duplũ seu majusculum vocat. Latinis est triens. Vulgus simpliciter nũmum & nummulũ vocat: & quidam καταχρηστικῶς etiam denarium, unde & notatur litera Germanica* ꝺ *: cum denarij apud latinos longè alius sit valor. Denarius enim latinis valet* $\frac{30}{210}$*: penninga autem nobis in Suevia & Bavaria* $\frac{1}{210}$ *floreni. Argentinenses vero florenum dividunt in penningas 120: Helvetij in 150. VVirtembergici & VVurtzburgici in 168: Constantienses & Hallenses in 180. Austriaci & S. Gallani in 240, Francfurtenses in 216. Misnenses & Franci in 252. Tirolenses in 300. Differt autem ab albo nummo, quo Rheni accolæ utuntur,* ein weiß pfenning/ *dicto, qui nummulis nostris octo valet. Album autem vocant quod constet ex albo argento: cum reliqui sunt ærei, ijq; rubri. Planis nos utimur: ut & vicini nobis Bavari, & Palatini: concavis utuntur Saxones: unde &* schißlerpfenning/ *id*

est, repandi vel scutellati vocantur: qui nummulis nostris paulo minores sunt. Quatuor enim crucifero valent.

Drey heller/nummus trium hallerorũ, latinis semissis. Quibusdã assarion. Hoc enim nomine quidam non integrum sed dimidium assem intelligunt. Appellatur nunc vulgo & Spackeler: alibi putschendl/à similitudine scindulæ, qua domus tegitur.

Creützer/à cruce denominatus, cujus typum in quibusdam nummis impressum gerit, valet tres nummulos nostros cum semisse: sive septem halleros. Græcè σταυροφόρος, latinè crucifer, cruciger, cruciatus. Fuit vero crucis signum olim non tantum in nummo tam parvo, sed & in plerisq; aliis, tam magnis quàm parvis. Primus ejus characteris autor fuit Constantinus Magnus, qui religionem Christianam, quam deposita Ethnica susceperat, non tantũ nũmis, sed & labaro, clypeoq; & galeæ suæ insculpsit.

Bömisch/sic dictus à Bohemia, ubi primum percussus fuit, quasi Bohemicus. Valet octo nostris nummulis, ideoq; albo Moguntino æqualis: & ferè sestertio Romano par. In urbe S. Galli facit 12 nummulos.

Blappart/ *à plapf & hart, id est, à duritie in sonando cum cadit, nomen habet. Valet apud nos tres cruciatos, sive nummulos decem cum semisse, unde et* Dreikreützerer *dicitur. Latinis sestertius cũ asse. Est autẽ bacius Heluetius, sic dictus à betz, diminutivo à* beer *Germanico, quod ursum significat: cujus typum gerit: olim Bernã vocarunt: quod eum Bernenses primum percusserint. Nunc ursatum vocant. Valet helblingos duodecim: & sic as Helveticus, cujus partium nomenclatura hæc est.*

Vncia una, ein helbling. *Sextans 2 helb. Hunc Helvetij & corvum,* ein rapp/ *à typo impresso: &* angster *vocant. Quadrans 3 hel. Triens 4 hel.* ein vierer: *nobis cruciatus. Quincunx, quinq; hel. semis vel semißis 6 hel.* ein halber plappart/ *aliàs* ein sechser. *Septunx, septem hel. Bes, octo,* ein doppelfürer/ *id est, duplicatus triens. Dodrans, novem. Dextans 10. Deunx 11.*

Misnenses grossum vocant, ein groschen/ *à craßitudine. Germanis* ein dicker pfenning: *cumq; duodecim nummulis ipsorum valeat, etiã duodenarius & solidus dicitur,* ein schilling. *Dimidius,*

midius, ein halbergrosch / od' schwertgrosch: *quadrans*, ein dreyer/*siue* dreypfenning greschle. *Percussus à Lantgravio Thuringiæ & Hessiæ vocatur* ein gnack.

Bacius est ursatus imperialis ab ursulo, quem bez Germani vocant, κατaχρηστικῶς *sic dictus. Noster enim bacius typo ursi caret. Latinis quatuor asses cum besse. Valet 14 nummulos nostrates, sive quatuor cruciferos. Vocant & bacum, & batzonem, & pacenum.*

Schilling *est nummus fictitius, sic dictus vel à voce Siclus, cujus diminutivum est siculus: vel à nomine solidus, quod verisimilius est. Nobis sunt 30 nummuli. Septem enim solidi nostratem florenum, qui septuagessis est, constituunt. Latinis denarius, Græcis drachma. Colonienses solidum vocant sex morchos, id est, dimidium cruciferum. Alibi hujus vocis alia est significatio. Saxones enim & Misnenses* schilling *vocant duodenam rerum quarumcunq; ut nummulorum, grossorum, ovorum, caseorum, nucum, pyrorum, fasciculorum ex stramine. Misnenses igitur hunc etiam grossum vocant. Alij solidum vocant sex nummulos: sed halleros 12*

in

in locis plurimis, ut Vlmæ, Pragæ, Tubingæ, in Prußia. Est igitur as Germanorum, Romano analogicus.

Zehen kreützer / est numusus 10 cruciferos valens. Italis Leoninus, vel caput Monachi à typo. Misnensibus Schreckenberger / à loco, in quo primum percussus fuit, Schreckenberga olim, nunc Annæberga appellato. A typo & Angelicus vocatur. Sex valent floreno Rhenano.

Floren / decurtatum à Florentzer gulden: unde & florenus latinè, & Germanicè gulden / id est, aureus appellatur. Aureus enim primum Florentiæ cusus est, cum signo floris lilij una: Iohannis Baptistæ altera parte. Olim frequens: nūc rarißimus, taxatus spira 25 bacijs in quæstione reluitionis. Hodie argenteus in maximo usu est, cujus ualor uarius est; olim aureo Rhenēsi (qui edicto Cæsareo 72 crucif. ualuit) par: hodie multò inferior. Nobis ut & Bavaris & vicinis alijs est septuageßis, constans septuaginta aßibus, cruciatis 60, blappardis 20, bacijs 15. Basiliensis florenus nostro, quem Rhenensem vocant, minor est. Facit enim nummulos nostros 182, hoc est, bacios imperiales tredecim. Aureus vero Rhenensis apud

nos

nos valuit paucis ab hinc annis cruciferos 75 blappardos 25, bacios $18\frac{3}{4}$. Nunc cr. 86. Basileæ bacios 25. Hunc vulgus vocat goldtgulden*, quasi alter sit* silberguldén.

Floreni igitur argentei as sunt cr. 60. deunx 55. dextans 50. dodrans 45. bes 40, septunx 35. semissis 30. Quincunx 25. Triens 20. Quadrans 15. Sextans 10. Vncia 5. Semuncia $2\frac{1}{2}$. Duella unum cr. cum besse. Sicilicus cr. $1\frac{1}{4}$. Sextula cr. $\frac{5}{8}$. drachma num. $2\frac{3}{18}$. Semisextula n. $1\frac{11}{24}$.

Thaler / *decurtatum à* Joachimsthaler/ *unde & Ioachimicus latinè, &* thaler / *id est, vallensis appellatur. Primum enim in valle Ioachimica, ubi divites argenti fodinæ sunt, cusus per Slicones comites in Bohemia circa annum 1520: una parte Ioachimum Abbatem, cum insignibus Slickensibus: altera Leonem Bohemicum præferens: quos deinde principes Germaniæ & reges plerique sunt imitati. Galli jocondalem quasi suauem, per paranomasiam vocant. Olim vocatus* ein goldgulden. *Excudi solet cum inscriptione crucif. 72, quot valet. Exponitur vulgo pro nostris nummulis 252: pro Misnensibus*

bus 288: pro Argentinensibus 144, & sic deinceps. Proximis annis, quibus ut auri, sic & argenti precium auctum est: floreni & taleri valor quoq; accrevit. Ille enim 16, hic 19 baciis iam æstimatur: precium vero in monetis idem manet. Nomina partium taleri in cruciferis ex partibus assis sunt hæc.

Taleri as sunt cruc. 72. Deunx 66. Dextans 60. Dodrans 54. Bes 48. Septunx 42. Semissis 36. Quincunx 30. Triens 24. Quadrans 18. Sextans 12. Vncia 6. Semuncia 3. Duella 2. Sicilicus $1\frac{1}{2}$. *Sextula 1. Drachma* $\frac{3}{4}$. *Semisextula* $\frac{1}{2}$. *Scrupulus* $\frac{1}{4}$. *Obolus* $\frac{1}{8}$, *id est, ferè hallerum.*

Krone/*coronatus, aureus nostris est fictitius, valens bacios* $22\frac{1}{2}$, *blappardos 30, cruciferos 90. Olim enim coronati Burgundici, Belgici, Anglici, Gallici precium fuit 90 cr. taxatum vero edicto Cæsareo 89 cruciferis.*

In aliis locis alia sunt nomina, at morchus, Fünffer/pfund/schock/marck. *Morchus, moneta Coloniensis, valet* $\frac{7}{12}$ *unius oboli. Duodecim enim morchi crucifero valent.*

Fünffer/*quinarius, Norimbergæ sunt quinq; nummuli. Quatuor quinarii in Misnia grossum valent.*

valent. Norimbergæ vero quinquaginta cum duobus nummulis florenum, tot nummis constantem, quot in Misnia & Francia.

Pfund/ *est libra, moneta fictitia, eaq; varij valoris. Libra Norimbergæ valet triginta nummulos. Octo enim libræ cum 12. num. florenum faciunt.*

In VVürtembergico ducatu libella obolorum valet cr. 42$\frac{6}{7}$. Septem enim libellæ quinq; florenis respondent.

Ius Saxonum libellam vocat viginti solidos, id est, nummulos 240. Totidem valet libra & Ratisbonæ & Salisburgi & Moguntiæ. Moguntini libellam nummulorum vocant. Libella enim obolorum 120 nummulos facit. Olim vero libella obolorum unum aureum valuit.

Basileæ valet bacios duodecim.

Nunc in Misnia valet 30 grossos.

Schock *est nomen derivatum à sex, sive sexagena. Significat autem vel proprie vel improprie. Proprie sexagenam significat non tantum nummulorum, sed & rerum aliarum quarumcunq;: ut* schilling *duodenam:* mandel / *quindenam;* stige / *vigenam. Et sic in Bohemia re-*

cen.

cens schock valet 60 grossulos, quorum singuli nummulos septem faciunt. Vetus schock / valet 60 Bohemicos, quorum 24 florenũ faciunt. Improprie vetus in Misnia valet 20 grossos, & sic ferè florenum. Novum vero proprie 60 grossos valet, & sic tres circiter florenos.

Marck / marca, ut & pfund / non est genus percussæ monetæ (ut nec mina, nec talentum apud Græcos & Hebræos) sed nomen ponderis, quod certis numismatis pro valore auri & argenti vario nunc pluribus, nunc paucioribus exsolvi solet. Est autem duplex: alia nostra, alia Coloniensis. Nostra major quàm Colonensis est dimidia drachma: & utraq; iterum duplex: alia argenti, alia auri.

Marca argenti monetaria Coloniensis edicto Cæsareo valet florenos $10\frac{1}{5}$, & paulo plus. Nunc ab aurificibus venditur fl. $11\frac{1}{4}$. Dividi autẽ solet dupliciter, primum in semisses & quadrantes. Semissis, ein halbmarck / valet nunc florenos quinq; cum quinq; octavis. Quadrans, ein vierling / vel vierding: barbarè ferto, & fertunum: & fartus (unde textorum fartel nomen habet) quod quatuor semuncias sive lotones continet:

valet nunc flor. $2\frac{5}{8}$.

Deinde eadem dividi solet in 16 lotones: duo lotones in tres charactos: unus loto in quatuor quintulas: quintula in quatuor nummulos ejus valoris, quem singulæ provinciæ habent. Valebit igitur nunc unus loto cr. $42\frac{3}{16}$: duo lotones cruciferos $84\frac{3}{8}$, id est, unum florenum, viginti quatuor cruciferos cum $\frac{3}{8}$. unus charactus cr. $25\frac{5}{8}$: una quintula cr. 10 ferè cum semisse: unus nummus ferè cr. $2\frac{5}{8}$. Lubecensis Marca, moneta argẽtea, quam Lübisch Marckstuck vocant, ex ordinatione monetaria Caroli V, valet cr. 46.

Marca auri Rhenensis edicto Cæsareo valet aureos Rhenenses $71\frac{1}{3}$, sive florenos $85\frac{1}{2}$, nunc fl. $102\frac{2}{3}$. Marca auri Hungarici ducatos 68, siue florenos $109\frac{14}{15}$: nunc fl. 136. Marca auri Gallici coronatos 70, sive fl. $103\frac{5}{8}$: nunc fl. 119.

Dividi autem solet in lotones 16, vel charactos 24, (qui grana 96: & granula 288. constituunt.) Vnus loto facit charactum $1\frac{1}{2}$. Vnus charactus gr. 4. Vnum granum tria granula, quæ gran vocant. Valebit igitur nunc unus loto auri Rhenensis fl. $6\frac{7}{16}$: auri Hungarici fl. $8\frac{1}{2}$: auri

auri Gallici fl. $7\frac{7}{18}$. Charactus auri Rhenensis fl. $4\frac{8}{21}$: auri Hungarici fl. $5\frac{2}{3}$: auri Gallici fl. $4\frac{25}{24}$. Granum unum auri Rhenensis fl. $1\frac{5}{36}$: auri Hungarici $2\frac{1}{8}$: auri Gallici $1\frac{23}{96}$. Granulum auri Rhenensis cr. ferè 24: auri Hungarici cr. $42\frac{1}{2}$: auri Gallici cr. $31\frac{8}{18}$.

NOMINA ITALICA.

Romæ nunc usitata sunt quatrinus, baiochus, Iulius, grossus. scutum. Quatrinus, Germ. ein vierer / Italis Katrin, est vetus quadrans sive teruncius ferè, valens $\frac{14}{25}$ numuli nostratis. Nam 375 quatrini unum nostrum florenum faciunt. Quatrinus igitur quasi quadrans dictus.

Baiochus est quàm proximè vetus as, valens quinos quatrinos, sive nummulos $2\frac{4}{5}$.

Iulius est ὡς ἔγγιστα vetus denarius, valens baiochos decem, sive nummulos 28, sive cruciferos octo. Semiiulius est grossus, par nostro bacio.

Scutum, quod & scutatum & ducatum vocant, à duce scutato, id est, armato, cujus typum gerit. Est autem duplex: aliud argenti, aliud auri. Scutum argenti valet decem Iulios, sive octoginta cruciferos, ein silberkron. Exponi au-

tem solet pro cr. 84, sive 21 bacijs. Scutum auri frequenter solet Iulijs duodecim æstimari: numerum vero 12 juliorum nunc augent semijulio. Valet igitur nunc cr: 100. sive bacios 25, ein goltkrone.

Venetijs usitata sunt pagatinus, quatrinus, solidus, grossus, marcellus, libra, ducatus, Zikinus. Ex aureis vero in tota Italia Pistoletus.

Pagatinus est uncia vetus, sive semiobolus noster, ut olim sic & nunc, moneta minima ærea, sic dicta à solvendo, quasi idonea ad mercenariam operam & res levißimas compensandas. Paga enim Italis merces est: & pagare solvere.

Quatrinus est triens vetus, moneta ærea, major Romano quatrino, valens $\frac{7}{9}$ nostri nummuli. Nam $4\frac{1}{2}$ quatrini unum cruciferum, & 270 nostrum florenum faciunt. Nunc æreorum istorum nummorum usus obsolescere cæpit.

Solidus, Venetis scholð/ *Germ.* ein schilling/ *olim valuit tres quatrinos sive nummulos $2\frac{1}{3}$. Sex enim expositi pro quatuor cruciferis: & 90 pro cruc. 60. Nunc bes vetus est, valens num. nostros $2\frac{1}{10}$. Nam 30 solidi cruc. 18 faciunt.*

Grossus constat octo solidis, sive nummulis nostris

nostris 16$\frac{4}{5}$. Ferè igitur quinq; cruciferis.

Marcellus, sic dictus quasi parvus Marcus à typo Marci, quem habet. Est autem multiplex. Valet enim sex, octo, 12, 16 cruciferos. Mocenicum vocant eum, qui valet 16 cr.

Libra Veneta valet viginti solidis, nummulis nostris 42, siue tribus baciјs. Iustina est libra duplicata, id est, sex baciј. ἰατρεῖον commune medicorum in Italia.

Ducatus à duce sic dictus, quod à ducibus Venetis & Genuensibus primum percussus sit, constat solidis 124, sive grossis 24, id est, nostris cruciferis 75. Par igitur talero, ut nunc valet. Centum viginti quatuor floreni faciunt 100 ducatos.

Zikinus est ducatus aureus Venetus, sic dictus à Zecca, quod officinam monetariam notat: valens hoc tempore duos florenos: æqualis Hungarico. Venetiјs valet bacios triginta duos.

Pistoletus sic dictus à typo, quem continet, quasi sicatus, sive gladiatus, à pistolese, quod sicam significat, est coronatus aureus Italicus, Hispanicus, Sabaudicus, Burgundicus: valens libellis Venetis octo, sive baciјs 24. Basileæ 28.

NOMINA GALLICA.

Nummi Gallici ſunt denarius, caroleus, ſolidus, groſsus, teſto, francus, libra, marca, coronatus, nobilis Henrici.

Denarius Atrebatenſium, nummus æreus, facit $\frac{5}{8}$ *nummuli noſtri, paulo minor quatrino Veneto & Romano major. Hinc ſemidenarius, qui nobis eſt ſemiobolus.*

Denarius Turonicus ſunt $\frac{7}{10}$ *noſtri nummuli. Quinq; enim valent uno crucifero. Ferè par igitur quatrino Veneto.*

Caroleus nummus valet decem denariolis Turonicis, id eſt, duobus cruciferis. Vocatur & blancus, ein blanck/*ab argentea albedine: quam habet: non habet vero denarius.* Blanck *enim album Galli vocant :* weiß *Germani:* ἄσπρο *Græci moderni. Triginta blanci florenum faciunt.*

Solidus, Gallis Souls / *Semiargenteus minor, duplex eſt : Communis & Turonicus. Communis valet ſeſquicrucifero, id eſt, nummulis* $5\frac{1}{4}$ *ſive ferè ſtufero Belgico.*

Solidus Turonicus, Gallis Tornos, Germanis Turnos, valet 12 denariolis Turonicis : unde & duo-

duodenarius dicitur, Vulgus Gallorum dussenū, quasi ein dutzet/ *vocant. Valet nostros nummulos octo cum duabus quintis, sive octo nummulos ferè cum semisse.*

Grossus Parisiensis valet tres blancos, sive sex cruciatos. Tantidem valet grossus Argentinensis, vulgo schilling/grosch.

Testo, capitatus, sic dictus à capite seu vultu principis, cujus typum impressum habet. Testam enim Itali & Galli caput vocant. Duplex est, Gallicus & Lotharingicus. Gallicus valet cruciferos 24. Lotharingicus valet 20 cr.

Francus est hodie nummus argenteus, olim aureus, sic dictus, quia Francis peculiaris, cujus valor varius est. Tempore Henrici III libræ Turonicæ & Francici idem erant.

Qui nunc vulgo habetur, exponitur pro octo bacijs. Quinq; enim Franci valent duobus Philippeis taleris.

Libra Turonica facit viginti solidos Turonicos, sive cr. 48: sive denariolos Turonicos 240. Est autem nummus fictitius, qui non extat, sed alijs monetis permutatur.

MARCA argenti Budæi tẽpore Francicis undecim: auri Francicis centum triginta duobus æstimabatur. Marca argenti vascularij duodecim libris: auri centum quadraginta quatuor. Diversitatem precij facit temperaturæ varietas in argento vasculario & monetario. Nuper argenti monetarij precium indictum est à rege Galliæ libris Turonicis undeviginti & quatuor solidis: vascularium ab ipsis aurificibus viginti duabus libris venditur.

CORONATVS est aureus nummus proprie in Gallia, sic dictus à corona, cujus typum habet. Est autem duplex, communis & solatus. Communis pendet grana Romana 62, qui Budæi tempore æstimatus est solidis Turoneis triginta quinq;: commutatus verò solidis triginta octo. Solatus pendet grana Romana 63, qui Budæi tempore æstimabatur solidis Turonicis triginta sex cum semisse: commutabatur vero solidis quadraginta. Solatus dicitur, non ut vulgo à sole, sed à solido. Est enim solidus aureus. Heuterus lilium Gallicum vocat. Hujus valor procedente tempore gradatim auctus est, ut æstimaretur 54, 60, 65 solidis: nunc tandem commutatur solidis 18.

dis 68. sive cr. 102. Addi solet interdum dimidius bacius, ut exponatur pro 26 baciјs. Basileæ valet duos florenos. Edicto Cæsareo in comitijs Augustanis A D. 1551 æstimatus est 89 cruciferis, sive bacijs $22\frac{1}{2}$.

Nobilis Henrici nummus est aureus Gallis peculiaris, Henricorum nomina præferens, ultimo Regis edicto taxatus solidis Turonicis centum triginta quinq; id est, florenis nostris quinq; ferè cum semisse.

Galli mensarios, qui permutandis pecunijs occupantur, à scamnis, quibus ad mensas assident, les banquirs, quasi bankirer vocant: unde banque routte, scamnum ruptum, phrasis etiam ad Germanos transijt, qui banckerotten vocant, fortunis suis everti, & mercaturam deserere.

NOMINA BELGICA.

Nomina Belgica sunt Meitle/ Kort, Negemeniken, ortgen, grossus, Stiber / Schilling/ gulden/thaler/pfund/postulat.

Meitle/ mita vulgò, corruptum ex latino minutulum, moneta est plumbea, eaq; minima, valens $\frac{7}{03}$ unius nummuli, sive quartam partem

illius ferè. Quatuor igitur mitæ unum nostrum nummulum constituunt.

Kort, quatrinus, constat ex duabus mitis, valens $\frac{14}{30}$ nostri nummuli. Exponitur in parva summa pro uno hallero.

Negemeniken, valet tribus mitis, sive $\frac{21}{30}$ nostri nummuli.

Ortgen constat ex duobus Negemenicis, valens nummulo $1\frac{2}{5}$. Par igitur ferè nostris tribus halleris.

Grossus valet duobus ortgenis, sive tribus ferè nummulis. Assi igitur Romano respondet. Semissis stuferi.

Stiber / latinè sestertius, unde vox corrupta videtur; vulgo stuferus. Ejus valor varius est. Ex decreto Caroli V. viginti octo stuferi cr. 72 faciunt, & sic unus stuferus Belgicus nummulos nostros novem. Stufero Gallico duodecim denarios Atrebatensium tribuunt, & sic valet nostris nummulis septem cum semisse, & sestertio veteri Romanorum præcisè respondet. Nunc vulgo valet mitas 24, sive ortgenos quatuor, sive nummulos $5\frac{3}{5}$: & sic ferè sex nummulos nostrates; præcisè vero scutulatos sex.

Stufe-

Stuferus unus cum dimidio vocatur à Belgis Braßpfenning/ sic dictus à luxu, quod olim in magna annonæ vilitate victus luxuriosi pro una vice precium esset. Valet ortgenos septem, sive nummulos nostros ferè decem. Ferè par nostro plappardo. Moneta ex cupro.

Schilling/ latinè solidus, sunt sex stuferi, sive 12 grosßi, qui nostros nummulos 33⅗. faciunt, sive cruciferos 9⅗. Par ferè nostro solido, seu denario Romano.

Gulden/ florenus Belgicus, est Francus apud Gallos, valens octo bacios, sive stuferos viginti. Caroleus florenus est aureus valens duplici franco, nobis baciis sexdecim.

Philipsthaler/ sive gulden/ vulgo Dölpelthaler/ talerus Philippeus, est argenteus sic dictus à Philippo rege Hispaniæ, cujus typum impressum habet. Valet stuferos 50½: sive nummulos nostros 280. Exponi autem nunc solet cum additamento unius bacii, & sic pro baciis 21. κατ' ἐξοχὴν regalis talerus, nunc tam celebris, quàm olim regale numisma Philippi.

Pfund/ libra, duplex est: Brabantica & Flandrica. Brabantica valet quatuor florenos

Belgi-

Belgicos: sive nostros florenos duos cum duobu bacijs. Flandrica valet sex florenos Belgicos sive nostros florenos tres cum tribus bacijs: siv solidos uiginti.

Postulat appellatur nummus ex argento pu rißimo, quod Gellius purum putum: latini po stulatum vocant, ex autoritate Suetonij in Ne rone cap. 44. Hispani acendrado: pandectæ Flo rentinæ pustulatum appellant. Postulati numm cusi sunt olim in Be'gio, Cleuia, & Frisia; æsti mati edicto Cæsareo partim cr. 30. partim cr $27\frac{1}{2}$. partim cr. $24\frac{1}{2}$.

NOMINA HISPANICA.

Triplex numismatum genus Hispanis, æreum, argenteum, aureum. Ex ære monetæ sunt blanca, maravedinus, ochavo, quarto, quartillo. Ex argento, dimidius regalis & regalis. Ex auro pistoletus & coronatus.

Blanca est dimidius marauedinus, id est, nostri nummuli $\frac{7}{17}$, quæ paulo minus uno obolo nostro faciunt. Hinc proverbium Hispanicum. Non valet blanca, id est, nullius precij.

Maravedinus est duplex blanca, valens nostri

ri nummuli $\frac{14}{17}$, sive nostrum ferè nummulum. Nam marauedini 34 unum Regalem faciunt: 55 unum florenum: ὡς ἔγγιστα nummum Norimbergensem constituit. Non extabat olim: sed nunc denuo cudi ferunt: estque illius nomen adeo usitatum, ut omnes summæ, etiam quàm maximæ ad maravedinum revocentur.

Ochavo est duplex maravedinus, sic dictus, quod octava sit pars minimæ argenteæ monetæ, quæ medioreal dicitur: valens nummulum unum cum $\frac{11}{17}$. Ferè igitur par nostro assario, quem dreihellerer vocamus. Minima moneta in Castilia.

Quarto constat ex quatuor maravedinis, valens tribus nostris nummulis cum $\frac{2}{17}$: ferè par nostro crucifero.

Quartillo est quarta pars nummi regalis, valens cruciferos duos: sive dimidium bacium.

Dimidius regalis, medio real, est minima moneta argentea, valens maravedinis 17, sive 14 nostris nummulis, id est, nostro bacio.

Regalis, Real Hispanis, sic dictus, quasi regia moneta, duplex est: minor & major. Minor, vulgo real de plata, id est, de argento, valet edi-

cto Ca-

cto Cæsareo, octo cruciferis. Maior vulgo real de ocho, id est, de octo argenteis regalibus, sive octonarius, valet 64 cruciferos. Ille ferè par denario Romano: hic nostro floreno.

Pistoletus Castellanus sic dictus, quod regum Castellæ jussu cuderetur, constat maravedinis 375, sive regalibus undecim, & uno insuper maravedino. Facit florenum unum, & cruciferos 28, sive cruciferos 88, sive bacios 22.

Coronatus Philippeus valet maravedinis 400, id est, cruciferis 94. Hispanis un doplon de oro, ein spannisch doppelkronen in gold. Quadruplex coronatus, un doplon de aquatro. Basileæ nunc commutatur florenis quatuor.

NOMINA LVSITANICA.

Lusitanici nummi sunt ærei, argentei, aurei. Aerei sunt satis, & Raesus. Argentei vintenus & testo. Aurei sunt crusati & milresij.

Satis est sexta pars ræsi, valens $\frac{7}{80}$ nostri nũmuli. Nunc ob precij exiguitatem non extat.

Ræsus, vulgo raes, est $\frac{1}{3}$ cruciferi, sive $\frac{7}{10}$ unius nummuli, sive unus obolus cum duabus quintis. Nam 40 ræsi regalem faciunt. Synonymos igitur denario Turonico. Vox cognata assario: unde

unde & milliarisium deductum est. Nec hic nunc extat: in supputatione verò usurpatur.

Vintenus, vulgo ventins, valet viginti raesos, estq́ dimidius regalis, siue noster bacius. A viginti nomen habet.

Testo, vulgo teston, est idem, qui Lotharingis, valens cruciferos 20, sive raesos centum: siue duos regales cum dimidio.

Crusatus, à cruce sic dictus, ein kreitzducat/ *alijs in genere* ein Portugaleser/ *valet raesis 400, sive regalibus decem: sive cruciferis 80. Crusatus oblongam crucem habens, edicto Caesareo aestimatus est cruciferis 95. Brevem crucem habens aestimatus est cruc. 96. Nobis valet bacios 25. Nunc vulgo Portugaleser vocantur duodecim crusati, sive floreni 20.*

Millresius, vulgo mill, rays, constat ex mille raesis, unde & nomen traxit. Valet tres florenos cum una tertia, sive cruciferos ducentos: sive regales viginti quinq́.

NOMINA INDICA.

Nomina Indica sunt basarucus, vintinus, tanga, larinus, pardauus, pagodes, S. Thomae aureus, regalis major.

Basa-

Basarucus, bes Raesi Lusitanici: valens $\frac{4}{25}$ cruciferi, siue $\frac{11}{25}$ nummuli. Nam 375 basaruci florenum faciunt, & tres duos raesos. Est autem duplex: unus melioris, alius deterioris notæ. Melioris notæ quindecim faciunt deterioris notæ 18. Constat è prauo stanno.

Vintinus, pecunia fictitia est, cujus usus duntaxat inter numerandum est. Tres bassarucos, sive nostros nummulos ferè duos valet.

Tanga similiter moneta fictitia est, eaq; duplex, melior & deterior. Meliores tangæ quatuor, quinq; tangas deteriores conficiunt: quæ unum florenum constituunt. Valet melior tanga ferè cr. 15: deterior duodecim cruciferos. In contractibus igitur semper de bona aut improba moneta pacisci oportet.

Larinus, moneta est, quæ ex Persia adfertur, longiore forma, è puro proboq; argento. Valet 105, & 108 basarucis, pro collybi ratione plus minusúe. Facit igitur cr. ferè 17.

Pardavus, præcipua moneta Indorum, vulgo pardaus, estq; duplex: Xeraphinus & Persicus. Xeraphinus, sic dictus à Xaraphes, quod mensularium notat. Goæ cuditur, signata ab una parte

D. Seba-

D. Sebaſtiani imagine: ab altera tribus, quatuorúe ſagittis colligatis. Valet trecentos raeſos Luſitanicos, ſive florenum noſtrum. Pardavus Perſicus de laryns vocatus, quinq; larinos ſive 85 cr. facit.

Pagodes ſunt nummi aurei, qui ab Indis Ethnicis cuduntur cum idolo diabolicæ figuræ, unde & nomen fluxit. Suntq; duum triumúe generum, quorum ſinguli æſtimatione octo tangas ſemper ſuperant: ideoq; duos florenos valent.

S. Thomæ aureus, ſic dictus à typo quem gerit, valet octo aut ſeptem tangas.

Regalis major, vulgo Pardauus de Real, eſt moneta Hiſpanica, quæ ex Luſitania in Indiam adfertur, ibiq; primùm valet raeſis 436, poſt aſcendit ad majus precium, dum conquiritur itinere in Chinam inſtituto, ut refert Iohannes Hugo Linſcotanus in ſuo itinerario.

NOMINA TVRCICA.

Turcorum & modernorum Græcorum monetæ ſunt, mangurim, drama, aſper, medin, ſaiet, ſoldaninus, ducatus.

Mangurim ſunt nummi ærei, quorum unus

P valet

valet $\frac{7}{32}$ nummuli noſtratis. Mangurim enim 24 aſperum valent.

Drama vel direm eſt nummus cupreus, valens unum nummulum noſtrum cum una vigeſima. Quinq; enim aſperum valent.

Aſper ſive aſpar, ſive aſperon Græcis modernis eſt nummus, quem Turci Achs vocant, id eſt, album nummum, ein weißpfenning. Ἄσπρο *enim Græciæ incolis, ut & Rabbinis: Turcis verò ak, ſive hach album ſignificat. Argenteus enim, hoc eſt, albus eſt, Arabicis inſignitus literis, valens noſtros nummulos quinq; cum quadrante. Ejusdem igitur ferè valoris cum meah moneta Chaldaica. Sexaginta enim aſperi coronatum valent, quem 90 cruciferis æſtimamus.*

Latini nummum aſperum aliter quàm Græci intelligunt. Sic enim vocant nummum bene percuſſum & recentem: non tritum atq; ipſo uſu lævem. Olim igitur, qui theſaurum colligere ſtudebant, in eo nummum aſperum recondere ſolebant. Hujus meminit Perſius Sat. 3. cum inquit. Quid aſper utile nummus habet. Et Virgil. 5. Aeneid. Vaſa perfecta atq; aſpera ſignis; quæ nimirum ſignis extantibus in aſperitatem cælata erant.

Medin

Medin est noster blappardus, faciens tres cruciferos.

Saiet est octava pars taleri, id est, cruciferi octo cum semisse.

Soldaninus est moneta argentea, crassa instar taleri, sic dicta à Sultano, quod Arabibus Augustum significat, ab Hebræo Schalat, id est, imperium habere: unde & Germanicum schilt/ *id est, Clypeus. Soldaninus igitur quasi imperialis. Tales Soldaninos triginta, Turcicus IMP. Turcam quemlibet in Asia & Syria numerare coëgit, qui in Hungariam militatum proficisci noluit: & sic magnam illorum copiam corrasit, quam ad milites in Hungaria alendos destinavit.*

Ducatus Turcicus, ut & Hungaricus, valet cruciferos 105: nunc precium illius auctum 10 cruciferis. Turcicus IMP. gerens bellum adversus Persas ducatum 43 medinis à militibus permutavit: & sic magnam summam ad se pertraxit. Rediens Constantinopolim eundem ducatum pro 85 Medinis exposuit, & sic stipendium suo exercitui magno compendio persolvit. Solent autem Turci nummos non imaginibus, sed

literis insignire, quibus nomina imperatorum continentur, cum anno regni: exosi omne pictum & sculptum: idq; ex lege Mahumetica, quæ omnes imagines & statuas prohibet.

NOMINA HVNGARICA.

In Hungaria monetæ sunt, nummulus, nummus, grossus, talerus, ducatus.

Nummulus, Germ. ein haller: Hungaris batka, à batok, id est, stanno: valet præcisè $\frac{17}{50}$ cruciferi: sive nummulum nostrum cum una quinta. Polonis ternarius.

Nummus, Germ. ein pfenning. Hungaris pinz, valet duas batkas, sive $\frac{17}{25}$ cruciferi, quæ nummulos duos ferè cum duabus quintis constituunt.

Grossus valet quinq; nummos: sive cruc. $3\frac{2}{5}$.

Talerus continet batkas 200, nummos 100, bacios septendecim, grossos viginti. Talerus enim imperialis facit nummos 110, sive grossos viginti duos.

Ducatus Hungaricus olim valuit grossos 31 sive cruciferos centum & quinq;: nunc valor illius auctus cruciferis novendecim, sive großis

quinq;

quinq; cum dimidio. Vocatur & κατ' ἐξοχὴν solidus regalis.

NOMINA MONETARVM Polonica.

Polonicæ monetæ sunt, nummulus, ternarius, crucifer, mediens, grossus, VVirdung, florenus, talerus, ducatus.

Nummulus est nona pars cruciferi, valens ferè unum nostrum hallerum: præcisè vero $\frac{7}{8}$ halleri.

Ternarius valet tres nummulos Polonicos sive totidem ferè nostros halleros. Polonis Kvvartnik. Silesij & Bohemi in duos tantum nummulos dividunt.

Crucifer moneta peregrina, valet novem nummulos. Polonis mediens, id est, medietas grossi, ejusdem cum crucifero valoris, cuditur in Polonia.

Grossus facit duos cruciferos, sive nummulos Polonicos 18. Prutenis ferè Stottus: qui valet cr. $1\frac{7}{8}$. Nam 32 Stotti florenum faciunt. Dudek simplex est triplicatus grossus, valens sesquibacium: vetus æstimatus est edicto Cæsareo cr. $5\frac{1}{2}$.

Duplex dudek valet cr. 12.

Virdung valet medientes 24, sive grossos 12, sic dictus à vier/ *id est, quatuor, quod sit Marcæ quadrans. Marca enim continet quatuor virdungos: & sic grossos 48 sive bacios 24.*

Florenus valet nummulos Polonicos 540, sive grossos triginta: medientes vero 60.

Talerus, grossos 38: medientes 76, hoc tempore. Aestimatus verò olim edicto Cæsareo baciȷs 17.

Ducatus Polonicus Hungarico æquipollet.

NOMINA ANGLICA.

Nummi Anglorum sunt Penz/ Englisch stosser/ Sterlin/ Chelint/ golden/ Engelot/ Rosennobel/ pund.

Penz/ *sic dictus à pecunia, Germ.* ein pfenning/ *Hungaris pins, nummus Anglicus, tertia ferè pars nostri baciȷ, valens præcisè nostris nummis quinq;. Par obolo Attico. Tres enim nummi Anglici valent nostris nummis quindecim. Monetæ vero minores & paulo majores quæ cuduntur, à nummo denominari solent, ut semis, sesqui, duplex nummus.*

Englisch

Englisch stosser / *Anglicus ſtater, olim uſitatus, edicto Cæſareo æſtimatus eſt tribus cruciferis cum quadrante, ſive nummis noſtris 11$\frac{5}{8}$. Nunc non eſſe in uſu ajunt.*

Sterling *eſt monetæ commune nomen in Anglia, ſic dictæ ab oppido Scotiæ Sterling, ubi tempore Iacobi IIII aurifodina reperta & officina monetalis extructa eſt. Sic monetæ in Germania ſunt* Joachimsthaler / & Schreckenberger/ *dictæ à fodinis metallicis, in quibus cuſæ ſunt. Polydorus Virgilius ait ſuo tempore fuiſſe nummum argenteum cuſum ex vigeſima ſexta parte unciæ, ſive thaleri, qui uncialis eſt: ſic dictum à typo ſturni, quem habuit. Angli enim ſturnum,* sterling *vocant, inſigne regni Anglici. Quidam ſolidum ſterlinorum vocant, qui valet tredecim denariolis Turonicis, ſive nummis noſtris 9$\frac{1}{10}$. Didacus Couarruuias æſtimat tertia nummi regalis parte, ſive nummulis noſtris 9$\frac{1}{3}$.*

Chelin, latinè ſolidus, Germ. schilling / *ſunt nummi Anglici duodecim. Par vigeſsi Romano. Valet ferè quatuor bacios.*

Golden/ *florenus Anglicus, commutatur ab*

Anglis quinque Chelinis, valens apud nos viginti bacios.

Engelot/*angelotus, aureus Anglorum nummus, duplex est: vetus & recens. Vetus decem Chelinis æstimatur, sive bacijs 40. Tonstallus Angelum vocat. Sic enim ille. Tres Angeli valent quinque coronatos Gallicos. Nam tres Angeli sunt bacij 120: totidem sunt quinque coronati, quorum quilibet bacijs 24 æstimatur. Recens, qui nunc cuditur, minoris precij est, valens chelinis novem cum semisse, id est, bacijs triginta octo.*

Rosa nobilis, vel Nobilis rosatus, vel Roseus Anglicus similiter duplex est, vetus & recens. Vetus ab ipsis Anglis quindecim Chelinis commutatur: recens quatuordecim. Ille præcise, hic quàm proximè par duplici Hungarico. Valet enim ille quatuor florenis: hic tribus cum bacijs undecim.

Pund/*libra, valet Chelinis viginti, nummus aureus ab Anglis suprema dictus, quod eo majus numisma nullum habeant: pendetque duos Angelotos, sive florenos quinque cum quinque bacijs:*

eiis: sive Philippeos quatuor. Vocatur & libra sterlinorum, ad differentiam libræ Flandricæ & aliarum nationum.

PROVERBIA SVMTA EX asse & partibus ejus.

1. Assis facere, pro nihili. Ad assem perdere, pro redigi ad paupertatem, ita ut minimus non restet nummus. Etsi asse vendatur, carum est, quo non indigeas, pro minimi.

2. Proverb. Germanicum.

Dauß eß hat nichts/
Seß zinck gibt nichts/
Quater drey/
Die helffen frey.

Quos rhythmos sic converto.

Vnio pauperior Codro est: ut binio egenus:
Senio nil confert: quinio nil tribuit.
Ternio sed medius, iunctusq; quaternio, soli,
Cum petit auxiliũ curia egena, iuuant.

Proverbium sumtum ex Nehemiæ cap. 3.

optimates non supponunt colla in opere dominorum suorum, id est, magnates parum aut nihil contribuunt in oneribus publicis: mendici, si maximè vellent, nil possunt: intermedij maximam onerum partem sufferunt.

3. Sex congios capit, ἓξ χόας χωρεῖται, subaudi, ὁ ἐγκέφαλος αὐτοῦ, cerebrum ipsius. Proverbium in stolidos & emotæ mentis homines. Metaphora ab utre aut testa. Bicongius dictus filius Ciceronis, quòd duos congios bibere poterat.

4. Atlanticum mare cotyla exorbere, de re impoßibili, aut etiam supra modum difficili.

5. Centum libræ mæstitiæ unam unciam debiti non solvunt. Dictum Alphonsi Regis Neapolitani, ut Aeneas Sylvius refert. Congruit cum illo dicto Siracidæ, cap. 30. Tristitia multos occidit, & in ea utilitas non est.

6. Ad libellam exigere, pro inculpatè aliquid agere. Ad perpendiculum Cicero dixit: Vitruvius ad regulam respondere.

7. In marsupio, in calice, in ira, subintellige, hominis ingenium patefit. Adagium Hebræorum.

rum. Pecunia arguit fidem ejus, cui concredita est: ut pondera animum mercatoris. Nam qui avarus est, ferè diversis utitur ponderibus. In vino verò animi mores apparent. Nam in ore ebrij, quod in corde sobrij.

8. Votum Christianorum Germanicum.

Hetten wir alle einen glauben/
Gott vnd den gemeinen nutz vor augen/
Ein maß/ein ele/ein gewicht/ein gelt/
So stünde es recht in der Welt.

id est:

Vna fides toto si nobis esset in orbe:
Si Deus & cordi publica cuiq; salus.
Vnica mensura, una ulna, una libra, una moneta,
Quilibet in mundo non miser esse queat.

9. Solvere ad denarium, pro, plane omnia solvere. Cui non dissimile illud Christi Matth. 5. ultimum quadrantem solvere seu reddere. ἔσχατον δοδεχάντην, quod est, summo jure cogi à debitore, nihil vel de sorte, vel de usura remittente.

10. Tri-

10. Tribus minis insumtis duodecim imputat. Quadrabit in eos, qui non nisi compendij sui gratia colunt amicos, & pro quamvis exiguo officio multum beneficiorum expectant. Simile illi. Pileum donat, ut pallium recipiat.

11. Noctuas Athenas, subaudiendum, portas aut mittis, pro rem absurdam facis: ut si quis doceat doctiorem: carmina mittat poëtæ: consiliũ det homini consultißimo. Athenis enim noctuarum, id est, nummorum, quorum noctua typus fuit, magna fuit copia.

12. Nummum quærit pestilentia: duos illi da, & ducat sese: id est, pestilenti & pernicioso homini poscẽti nũmum duos potius demus, quàm propter unum litem cum eo contestemur: perdituri aliter imprimis tempus, hinc animi tranquillitatem, innocentiam, & amicitiam. Ex Augustino.

13. Obolo vel triobolo dignus apud Aristophanem pro homine nihili & abiecto: cui æquipollet, homo ὀϐολῶν ὀλίγων ἄξιος, *obolis paucis æstimandus: & homo semiobolaris, semiobolo venalis: item diobolaris, & triobolaris & tressis.*

sis, hoc est, tres asses vix valens. Ne obolum habens, pro pauperrimo. ὀβολοστάτης, *fænerator minutulus, &* τόκος ὀβολιμαῖος, *usura obolaris, videlicet sextans, seu sextantaria, id est, parvi momenti.*

14. Dignum quadrante, pro exiguo & vili. D. Hieronymus dignam quadrante eloquentiam vocat, quæ nullius pensi sit, & vix unius æstimanda assis.

15. Talenta Zopyri, de præclarè factis, magnoq; æstimãdis. Fuit enim Zopyrus Darij regis amicus, qui sibi nares & aures conscidit, dicens id à Dario indignè factum esse: ut his argumentis decepti Babylonij urbem suam illi crederent, tanquam ei, cui Darius infestus esset: unde eam Dario prodidit.

16. Teruncium non insumsit, pro minimum seu vilem sumtum fecit. Sic dici solet. Crœsi pecuniæ teruncium addere. Crœsus enim rex inter prodigiosè divites celebratur.

17. Vna pertica, pro eo, quod est, eadem portione & condicione. Plinius lib. 8. Epist. 2. Quos non una, ut dicitur, pertica, sed distinctè gra-

ctè gradatimq́; tractavi (id eſt, non pari menſura, ſed quenq; ſecundum ſuam ſummam, & ſolvendi alacritatem.) Quantò quis melior & probior, tantò mihi obligatior abit. Lucianus idem plerunq; dicit eodem cubito, & eodem digito.

18. Spithama vitæ, hoc eſt, modus vitæ perpuſillus. Pſal. 37. ἰδοὺ παλαιστὰς ἔθου τὰς ἡμέρας μου, *breviſſimum vitæ ſpacium deſignans.*

19. Temporis punctum eſt omnis ætas. Plut. στιγμὴ χρόνου πᾶς ἐστὶ ὁ βίος, *id eſt, ſpacium breviſſimum. Seneca magis id extenuat, cui vita minus puncto eſt. Sic enim ille conſolatione ad Marciam. Terram hanc cum populis, urbibusq́; & fluminibus, & ambitu maris, puncti loco ponimus, ad univerſa referentes: minorem portionem ætas noſtra, quàm partem puncti habet, ſi tempori comparetur omni: cujus major eſt menſura quàm mundi: utpote cum ille ſe intra hujus ſpacium toties remetiatur.*

20. Puer centum annorum, de impio & ſtolido ſene, qui mente puerili eſt præditus, aut omnibus flagitiis nobilitatus. Eſai. 65.

21. In

21. *In mensem annum contrahit. proverbium de imperioso homine, qui in Rep. omnia, pro suo arbitrio statuit atq; immutat. Sumtum ex historia de Stratocle Atheniensi, qui Demetrio victori adulans decreto sanxit, ut ciues Martium mensem, Novembrem dici sciscerent: ut mysteria Iacchi, quæ hoc mense cum statis nundinis celebrari solebant, Martio mense fierent, jam Novembris nomen adepto, in gratiam Demetrij. Videtur & non male quadrare in abbreviatorem, qui prolixè ab alijs scripta in compendium contrahit.*

FINIS.

ERRATA

ERRATA SIC CORrigenda.

Fol. 2. duo & decim, lege, & duodecim.

6. lupinos octo, lege semilupinos.

10. lupinos 2304, lege 864. Et 24 lupini, lege 9.

58. est æqualis, adde ferè.

68. nostros tres, dele.

87. grana Hebræa, Attica, dele Attica.

95. uncias Atticas, lege drachmas Atticas.

102. grana Romana, adde tres, scilicet carrubæ, grana Romana duo.

103. Begæ, lege Belgæ.

106. ut & unciæ, lege 12 unciæ.

166. Angelum, lege, rosam nobilem ferè,

167. Rosam nobilem, lege libram sterlinorum ferè.

168. aureo Portugalensi, lege sesquiaureo.

169. fl. Brabanticos 150. lege 200.

170. fl. Brabanticos 250. lege 335.

188. uncius, dele. Et, hinc, lege hic.

189. semißis igitur, adde, sicli.

195. reliqui sunt, lege sint.

INDEX.

Q Com-

Auel-

χήμη

Didrach-

Kestuf

λιχανὸς

Perio-

Quadran-

R Sacros

FINIS

Errata.

Fol. 76. 9278181. lege 9288000.
6533. lege 13890.
60617440. lege 129000000000.
13134278. lege 43000000000.
Fol. 77. 1316278. lege 1316278000.
3194000 lege 3194000000.
3136000 lege 3136000000.
2344000 lege 2344000000.
2744000 lege 2744000000.
Fol. 138. ratione ponderis, dele.
Hemina ferè decem uncias, lege Sex uncias: & reliqua pro rata portione.
Fol. 199. hodie multò inferior, adde percussus est.
vicinis aliis est, lege vicinis aliis fuit.